

tinus, Fulgentius, Gregorius alique plures; sed hi omnes tandem Christo ad regimen animarum vocanti, annuque auxilium promittenti obdixerunt, huiusmodi que: pastorali subiecerunt; ac generose tot episcopis arianis, eorumque assensibus imperatoribus Constantino, Juliano, Valentinis, resisterunt, atque de his gloriose triumpharunt.

Audi Richardum de S. Victore: «Dum pia anima trepidat actibus mundi implicari, si suscipiat onus cure proximorum, et se dedat procurationi salutis eorum, dilectus, qui ipsam ad minus illud excitat, consolatur eam, et ampliori gratia visitat cor ejus penetrans. Quam gratie visitationem sponsa appellat *missionem manus per foramen*: quia quasi per rimam Christus infundit gratiam, cum non totam animam perfundit, sed quandam mensuram gratie visitat, et cum sic in parte visitat non plene illustrat. *Manus* ergo dilecti, operatio hanc gratie et donum potest intelligi; *venter* vero ipsa mens, in qua cogitationes excoquantur, sicut cibi in ventra. Similia habet S. Anselmus: nam, ut ait Philo Carpathius, Deus ante oculos anime ponit certitudinem que providentia et gratia, que novit bene olentes rosas inter spinas et triticum inter zizania conservare, ne ledantur, atque que nullum unquam in se sperantem deserunt. Hinc tres Anonymi apud Theodoretum per *manum* accipiunt Spiritum Sanctum: «Dilectus meus, inquit, dimisit a Patre, procedentem ab eo Spiritum ipsi consubstantialem, cujus tanquam manu peragit divina gratiarum munera, per mentem meam velut per *foramen* aliquid, et pariente me initium sapientie, timorem dilecti mei, tanquam iudicis, gula ventris que corrumpit vitium, unde genus omne nascitur imemperantia.»

Symbolice, Nyssenus docet *foramen* per quod Deus suam cognitionem, timorem et amorem nobis insillat, esse creaturas, puta opera a Deo creata, ex quibus ratiocinando cognoscimus Dei creatoris magnitudinem, omnipotentiam, bonitatem, sapientiam; quare *venter* noster intremat, dum illa admirantes et obstupescentes supplices laudamus, amamus et veneramus eorum opificem. Unde Theodotus verit, et *venter meus calefactus est*: sic et Theodoretus, qui per *foramen* accipit sensum, verbi gratia, oculum, in quo manus Dei jam dicta operatur: sic et S. Ambrosius, lib. De Isaac et Anima, cap. vi.

Magis proprie Honorius per *manum* accipit opus obedientie Christi: nam cum vocanti Christo anima tardat aperire, quia proximorum regimen suscipere formidat, sponsus ei opus obedientie sue perfectissime ante oculos proponit, ut perterrita faciat proximis, quod Deus fecit pro inimicis. *Mens* sponsi est opus obedientie illius, et per manum opus manuum exprimitur. *Foramen cubiculi* est auris corporis, quod est auris cubiculum: *manu* per *foramen* mittit, quando

per auditum memorie ingerit mysterium passionis sue, quo pacto de gloria celestis regni egressus, hujus exsiliis labores subivit, et inimicis suis tanto labore et periculo penitentiam et regnum colorum predicavit, ut hoc permota exemplo torporem discutiat, et animam pro proximis ponere non extimescat.

Porro Cosmas Damianus per *manum* accipit schisma, sic enim Ecclesiam sponsam loquentem inducit: Impudentia otiose et laute vite vehementer offensus sponsus, ingenti fite schismate, cum perfossa domo, tribus immissis dubiis pontificibus, tanti schismatis materia, cum per effosse domus nostre foramen immissa manu, me, cum omnium secuta et deliciis saporata cuborem, perterruit: regibus et principibus toto orbe in me unam conspirantibus et conjuratis, ingens metus meum percussit et perterrefecit animum, ut olim exercitus Chaldeorum, gravis illa Dei manus, per effossum murum Hierosolymorum. Sedeciam regem cum tota Synagoga conservavit, IV Reg. xxv, 7, et Jerem. xxxix, 6. Idem deinde in commentario fusiore, Ecclesie, id est nonnullorum prelatorum et fidelium defectus et vitia, ut ambitionem, avaritiam, cupiditates, schismata, bella intestina et externa fuse deplorat, eque ac facit S. Bernardus, De Consider. ad Eupentium, Joannes Gerson, Alvarus Pelagius, De Planctu Ecclesie, et Bellarminus, De Gemitu columbae.

SECUNDUM SENSUM

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Mittit Christus *manum* suam per *foramen* anime, cum eam occultata gratie inoperatione, sed potenti, ad heroica virtutum opera impellit; unda Cassiodorus: «Dilectus», inquit, *manum* per *foramen* mittit, et *ventrem* te, ut, cum interna Conditione inspiratione cor visita, et ad profectum virtutum accendit.» Audi quid de se quasi de alio narret hic Rupertus, dum noctu vigilans hanc Christi *manum* pectus suum demulcentem, et signo crucis signantem sensibilibus, mira cum animi sui voluptate expertus est: «Dilectus in visu noctis conspicuus, *manum* suam mihi modo pectori ejus quasi per *foramen* inject, et cor ejus intrinsecus apprehendit, tenuitque aliquandiu suavissime stringens, et gaudebat ineffabili gaudio cor illud, intra manum illam subsiliens atque tripudians.» Rursum S. Gregorius: «*Manum*, ait, *dilectus* per *foramen* ad sponsam mittit, ut surgat, quando per subtilem intellectum quanta sit operationis divine virtus, inspirando manifestat: quod videlicet et inter pericula salvare possit; quod etiam in pace, nisi per eum nemo salvus sit; quod in tumultu certaminis operantes in se non derelinquat. Ad *cujus tactum* *enter* sponsa intremat, quia sancta anima, quo amplius divinarum conscientiam per interiorum visitationem præ-

sunt et facillime abstergantur, imo obruuntur tot acibus et laboribus charitatis, quos in salutem alio um continuo exantant; tum quia labor, ex obedientia susceptus, venit secum gratiam et custodiam Dei, ut sordes pedibus non allinat, sed pedes potius mundos reddat et speciosos, ut patet in apostolis, quos Deus in gratia assidue confirmabat, juxta illud Pauli ex Isaia, Rom. x, 15: «Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!» Sic hodie in societate nostra experimur miram Dei opem in castitate et puritate sociorum, in tot occasionibus, quibus necesse est cum peccatoribus, Indis, feminis, principibus, etc., agere tuenda et conservanda, presertim, cum ipsi remedia, que religio eis suggerit, non negligunt, qualia sunt quotidiana oratio, meditatio, examen, confessio, communicatio, custodia oculorum et sensuum mortificatio, etc.: hisse enim pedes affectuum suorum assidua lavant nitidosque conservant.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Rupertus B. Virginem contemplationi addictissimam ita reverenter, sed ardentem Christo ad curam viduarum invitanti respondentem inducit: «Ego dilecti meo pulsanti loquor, eique nota replico, quia singularis ego pre omnibus *erui* me *tunica mea*; mente et actu vel habitu reliqui omnia; et ita *lavi pedes meos*, conscientiam sive intentionem meam emundantem Spiritu Sancto, ut jam dicti pulveris nihil omnino residuum sit. Quomodo nunc induar tunica, ut quum mea reliquerim omnia, eum aliena, pro aliis sollicita, et eorum que quotidie veniunt, vilicetum, vel que ventura sunt virginam materfamilias effecta? Quomodo inquiro quos *lavi pedes meos*, id est, ad aliqua terrena inclinabo oculos, vel cretos, quos omnes tibi soli, dilecte mi, dedicavi, sensus vel cogitatus meos. Nam etsi custodia tua semper mecum est, vera tamen humilitas semper sollicita est, et mea potissimum anima, que amore tuo singulariter plena est, pro pulvere estimat, pro sordibus reputat quidquid unquam preter te, per aliquam necessitatem dicit, vel cogitat, quamvis licitum sit, quamvis non otiosum, imo et aliquatenus utile videri possit.»

VERS. 4. DILECTUS MEUS MISIT MANUM SUAM PER FORAMEN, ET VENTER MEUS INTREMUIT AD TACTUM EJUS.

DILECTUS MEUS MISIT MANUM SUAM PER FORAMEN (ATHANASII, de foramine), ET VENTER MEUS INTREMUIT (BERNARDUS legi vult, *inframat*, hoc enim significat hebreum *hannu*) AD TACTUM EJUS. — Cum sponsa pletas in lecto tardat surgere et aperire ostium, sponsus ipse ad castigandam ejus moratu, manu immissa per foramen ostium ape-

rit: quare sponsa confusa et perturbata fuit, adeo ut *venter* ejus contemiseret ad tactum ejus, quo scilicet sponsus tangebatur pessulum, et aperiebat ostium; unde hebraice est, et *viscera mea hanna*, id est *infremerunt*, resonarunt, utculum et strepitum ediderunt *super ipsam*, scilicet sponsam; Septuaginta, *venter meus turbatus est super ipsam*; Symmachus, *interiora mea turbata sunt*; Syrus, *viscera mea commota sunt miseratione à eum*, quasi dicat. Ex intimis visceribus miseratus sum sponsum, dum sensi eum cum nocturno frigore et guttis lactentem, ac laborantem, ut aperiret ostium: quare illico e strato surrexi, eique ostium reservavi; unde Theodoretus verit, *venter meus calefactus est*, amore sponsi, eque ac dolore et pudore, quod tardarem ei aperire. Videtur Theodoretus pro *hanna*, legisse *hanna chammu*.

Per *foramen* R. Abraham accipit rimam ostii, per quam sponsus digitum vel cultrum immiserit, ut pessulum elevaret vel devolveret ad aperendum ostium; alii passim proprie accipiunt *foramen*, puta fenestellam, ut ait Nyssenus, que subinde in ostium fit ad pessulum reducendum, vel seram reserandam. Quare minus vere minusque caste Rupertus, Honorius et alii nonnulli *foramen* ad ventrem sponsa referunt, cum constet ex hebraico, Septuaginta et aliis referendum esse ad ostium. Accedit quod sponsa crum in lecto; lectus autem non sternitur ad ostium, alioquin aditum ingredientibus occluderet, sed ad parietem ostio obversum.

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Christus misit *manum* per *foramen*, cum magnis viris, doctoribus et presulibus Ecclesie sub tempora Constantinianae monasticen profidentibus, aut episcopatum relegendibus ex metu et timore peccandi, metum hunc ademit, animosque indidit ad generose capessendum regimen animarum, puta ad resistendum arianis ceterisque impiis, et predicandum, pasendumque gregem Domini.

Foramen anime est intellectus et voluntas; utriusque enim Christus latenter et occulte que per foramen *manum*, id est gratiam et robur indidit ad percipiendum: intellectui enim ostendit numeris pastoralis presantiam, meritum, facilitatem ex ope divina, etc.; voluntati amorem et audaciam immisit ad id amandum et suscipiendum: illa episcopatus initio exhorruere et refragere S. Athanasius, cui Alexander; episcopus Alexandrinus moriens dixit, et quasi vates predixit: «Fugis, Athanasii, ut non effugias, manus Dei comprehendit te, facietque episcopus, imo athletam et adamantem fidei, ac ariazarum flagellum insuperabile; item SS. Basilias, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustus

sentialiter sensit, eo districtius iudicet, quidquid in se carnale apprehendit. Quo majori enim charitate in Deum ardet, quem mente concupiscit, eo limitas et se subjicit, ne sponsus aliquid in eo inveniat, propter quod eam a se dimittere velit. » Magis præcise et proprie Beda hæc applicat ad curam proximorum: « *Et venter meus*, inquit, *intremuit ad tactum ejus*, quia recordata misericordie et operationis Dei conscientia pavescit, iuxta illud propheticum, *Habac. iii, 2: Consideravi opera tua et expavi*, atque ad curandam proximorum salutem, pro qua Deus incarnatus est et mortuus, pro viribus assurgere festinat. » Audi S. Ambrosium, lib. III *De Virg.* post medium: « Bonum est ut ad adventum Domini interiora turbentur; si ad angeli adventum Maria turbata est, quanto magis ad Christi nos turbatur adventum? Influentibus quippe divinis, corporeus peregrinatur affectus, et usus exterioris hominis exolescit. » Breviter, sed acute rem ad tangit Joannes Carmelita: « *Dilectus meus manum misit per foramen*, id est, inquit, sponsus meus per arcana hians voluntatis foramen ex assensu (quo gratie Dei prevenienti consentit) factum intulit auxilium sui manum. »

Secundo, Justus Orgelitanus: « *Dilectus*, inquit, *misit manum suam per foramen*, quando eam per passionum angustias transire perdocuit. *Venter vero ejus conturbatus est ad tactum illius*, quando imminente persecutione infirmiores, qui in ipsa erant, contremuerunt acerbitate penarum, quæ ipsi illate fuerunt ex permissu illecti. Tactus namque iste adventivus plagæ intelligitur cruciatus secundum illud libri Job, cap. ii, vers. 5: *Tunge os ejus et carnem, et tunc videbis quod in faciem benedicit tibi.* » Et Lucas abbas: « Quando, ait, anima in quocumque errore posita pulsanti non aperit, Christus per foramen mittit manum suam, castigando per dæmonia rerum, per famem et reliqua fugitorum genera. *Mittit per foramen*, ut sentiat quidem, sed non dat ut videat manum, quæ corripit contemptorem. *Intumescit enim venter animæ*, id est sensus, quando pro peccatis nocens fuerit acerimis flagellatus. » Huc facit versio Chaldaei, qui hæc accipit de castigatione impiorum Judeorum: « Quando, inquit, manifestum fuit coram Domino, quod populus domus Israel nolebant penitentiam agere et converti ad eum, extendit placam fortitudinis suæ contra tribum Ruben et Gad, et dimidiam tribum Manasse, quæ erat trans Jordanem, et tradidit eos in manus Sennacherib regis Assyriorum, qui transiit eos in Lachach et Chabor fluvios Gogam, et civitates Medorum, et tulit de manu eorum vitulum conlilalem quem posuerat Jeroboam impius in Lescem Dan, quæ vocata est *Pameus*, in diebus Pacæ filii Romeliæ, et quando audivi ego, miserationes mee revolute sunt super eos. »

Anagogice Honorius: *Dilectus manum mittit*,

inquit, quando hominem dolore mortis tangit, sed *venter ad tactum ejus tremat*, quia de minimis peccatis, quæ per fragilitatem carnis commisit, metuit; *surgit tamen ut ei aperiat*, quia visionem ejus quæ sursum est exoptat; *manus myrrham stillant*, quia opera pro quibus hic est mortificata Christo representat, ut pro his æterna præmia recipiat. Hæc Honorius. Sic quoque Phile per *manum in foramine* intelligit vim divinam, quæ animam Christi et sanctorum in corpus mortuum rediit et reducet, ut vivum et gloriosum resurgat.

Tropologice Guilielmus: « *Venter animæ*, inquit, memoria est; in eo quippe recondimus quæ suo tempore per cogitationem quasi munda animalia ruminemus. Ad hæc *tactum dilecti* memoria nostra obstupescens expavescit: eo quod ad tantam circa nos dignationem divinam, nihil in se condignum recolet. »

Symbolice, Philo Carpathius hæc refert ad S. Thomam apostolum, qui incredulis militans manum in latus Christi, credidit eum vere resurrexisse, et sacro horrore et amore perusus intremuit, imo infremuit dicens: « Dominus meus, et Deus meus, » *Joan. xx, 28.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Nysenus docet Verbum Dei omnipotens et immensum quasi in angustum se contraxisse, quando manum suam, id est vim et operationem suam, imo seipsum *misit in foramen*, puta in exile corpus humanum suis sensibus et organis distinctum, dum illud assumpsit in utero B. Virginis, ideoque illud mysterium cum tremore adorare et admirari corda omnium angelorum et hominum. *Manus ergo in foramine* est omnipotens Verbi in humanitate operans mira et miracula. Sic et Cassiodorus: « *Dilectus*, inquit, *manum per foramen mittit*, cum nos ad memoriam operum suorum revocat, ut cogitemus, quia cum Deus esset, pro nobis homo fieri dignatus est, ut terrena nostra suscipiens, celestes nos faceret, et moriendo pro nobis vitam æternam nobis donaret. Quod cum fit, *venter intremuit*, quia cum talia cogitare incipimus, cordis nostri arcana se conculcunt, dum stupere incipimus, quanta dignatione hæc Conditor pro nobis agere dignatus est. » Audi Honorium: « *Dilectus meus Deus*, quem elegi præ omnibus, *misit manum suam*, Filium suum, in mundum, *per foramen*, per me (ait Beipara), quæ facta sum ei ad homines veniens) foramen illi soli pervium; et *venter meus intremuit*, obstupuit ad *tactum*, ad ingressum illius. »

VERS. 5. et 6. SURREXI, UT APERTIM DILECTO MEO: MANUS MEÆ STILLAVERUNT MYRRHAM, ET DIGITI MEI

PLENI MYRRHA PROBATISSIMA. PESSULUM OSTII MEI APERTIM DILECTO MEO: AT ILLE DECLINAVERAT, ATQUE TRANSIERAT. ANIMA MEA LIQUEFACTA EST, UT LOQUUTUS EST: QUÆSIVI, ET NON INVENI ILLUM: VOCAVI, ET NON RESPONDIT MIHI.

MANUS MEÆ STILLAVERUNT MYRRHAM, ET DIGITI MEI PLENI MYRRHA PROBATISSIMA. PESSULUM OSTII MEI APERTIM DILECTO MEO, AT ILLE DECLINAVERAT, ATQUE TRANSIERAT.—Aquila, *delectavit, præteritit*; Symmachus, *remiens præteritit*: pro *pleni myrrha probatissima*, hebraice est, *pleni myrrha transiente per manus*, id est myrrha probatissima, quæ ut talis omnium manibus fertur, probatur et celebratur: massoreta ita dispungit, ut *et pessulum* referat ad myrrham, non ad *aperit*; sic et Septuaginta, qui proinde vertunt, *digiti mei* (stillaverunt) *myrrham plenam* (id est perfectam et copiosam) *super manus pessuli*, q. d. *Digiti mei tam copiose stillaverunt myrrham*, ut et pessulum madefecerint, itaque facile illud moveri et aperiri potuit: sic et Syrus et Arabicus: *Digiti mei*, inquit, *myrrham distillaverunt ad seram*; addit Arabicus, *pro manu mea clavis, aperit, sed ille jam abierat*. Loquitur in similitudinem sponsæ delicate, quæ manus habet unguento myrrhæ perunctas adeo copiose, ut de manibus et digitis per guttas defluat, cum ad aperendum ostium, vel aliud aliquid operandum eas ceperit extendere; sponsæ enim manæ, dum surgunt, se comunt et polliunt, ac unguentis perungunt, ut suavem exalant odorem, præsertim presente sponso, ut hiæ presens aderat. Addunt aliqui sponsam accepisse vas unguenti myrrhini, quod est calidum et desiccans, ut illud super caput sponsi rore et guttis madentis effunderet, illoque ipsum calefaceret et siccaret. Insuper myrrha sua fragrantia et amaritate cerebrum confortat, ac discutit vapores, qui illud opplent et soporant: quare sponsa illo se perungit ut soporem et desidiam excutiat, ac cita alacrisque surgat ad illico aperendum sponso ostium, sed ille jam declinaverat. Hi enim inter amantes sunt lusus amoris: *Vis, nolo: Non vis, volo: Quæris me, abeo: Abis- te sequor.*

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Ecclesia illico ut sensit manum, id est gratiam et impulsum Christi exultantis illam efficaciter ad laborem predicationis et conversionis animarum, pudore suffusa excussit tarditatem, ac cepit per suos episcopos et doctores opponere se arianis, infideles convertere, fideles in fide et pietate roborare, ut apertis cordibus Christus ad inhabitandos proximos veniens, aditum intrandi inveniret, ait S. Gregorius. Quare tunc manus et digiti ejus stillaverunt myrrham probatissimam: adiciendi usque ad defatiga-

tionem suscepti; tum quia ab arianis, inæstibus, et pravis fidelibus graves molestias et persecuciones, ac subinde mortes et martyria perpessus est; tum quia ultro se dedit operibus mortificationis et penitentiae, ad puniendas et abigendas priores offi sui delicias et laetitias, atque ad impetrandam peccatoribus veniam et gratiam Dei; tum donique, quia isdem prædixit et instillavit penitentiam, clamans cum Christo, *Matth. iii, 2, et iv, 17: Penitentiam agite*: appropinquavit enim regnum celorum; » Rube Septuaginta, Syrus et Arabicus dicunt sponsam stillavisse hanc myrrham usque ad pessulum vel seram ostii, quia nimirum per eam abegit pessulum, id est torporem et tarditatem, quæ ostium sponso clauserat: pessulum enim notat omne impedimentum, quod anima obijcit Christo, ne ad se ingrederetur. Quocirca tres Anonymi apud Theodoretum per *pessulum* accipiunt motus appetitus concupiscibilis, qui quasi pessulum aditum Deo occultant; S. Gregorius vero et Beda per *pessulum* accipiunt voluptates sæculi, quæ cor Deo claudunt: ita Cassiodorus, Beda, Justus, Rupertus, Anselmus, Richardus et alii, qui docent manus Ecclesie distillare myrrham, cum illius predicatoribus student austeritati atque mortificationi (hæc enim efficacius prædicat quam lingua docta et eloquens), vel cum morti se exponunt pro Christo; digitis vero stillare myrrham probatissimam, cum per discretionem judicet an recta sanclaque intentione illi faciant.

Quocirca Ecclesia *pessulum* Christo aperit, dum episcopi et pastores torporem excusserunt, ac iuxta Christi voluntatem strenue laborantur in conversione hæreticorum, infidelium et peccatorum fidelium; ac Christus « jam declinaverat atque transierat, » quia nimirum invalescente arianismo, et impietate, ex eo quod pastores et episcopi statim totis viribus, ut debebant, illi se non opposerent, ut scintillam hanc suffocarent, Christus ad eorum penam permisit, ut episcopi orthodoxi tardius illi se opponentes, scintillam hanc extinguerent nequiverint, illa in magnum proserpsit incendium, quo totus orbis conflagravit, in quo resinguendo per plures centenos annos laboravit Ecclesia, nec tamen ita extinxit, quin adhuc hoc tempore ejus reliquie in Transylvania, Polonia, Hollandia supersint: ita tarditas juste tarditate punitur. Idem contigit sæpius sequentibus sæculis, quibus Deus novos fidelium defectus et vitia per novos pseudoprophetas castigavit, ut anno 606 per Mahometem, cuius secta scintilla, quia initio non est restricta, sensim per provincias grassata magnam orbis partem incendit, eo quod nulli tunc in Oriente extiterint eximii in sanctitate et doctrina viri, nulli etiam religiosorum ordinum institutores; quise illi opposerent, uti solerter observavit Thomas Bosius, *De Signis Ecclesie*, lib. IX, cap. iv.

Mahometem post centum annos secuti sunt iconomachi, quorum furor in Oriente pervagatus

sponsa, nec statim sponso janam vult aperire, cogitur paulo post non solum ad janam usque progredi, sed civitatem percurrere, et plateas circumire, atque in custodes incidere, a quibus vulnera etiam accepit, et vix sponsum invenit exoptatum. Quod si statim vocanti parisset, hae omnia incommoda evitasset. » Hinc angeli pinguntur eum alis et nudis pedibus, ut eorum in obediendo Deo celeritas significetur : audi S. Dionysium, *Celest. hierarch.* cap. xv : « Pennatos sanctorum spirituum pedes theologia effingit : quippe alis signatur celeritas alta conscendens. » Et statim : « Alarum, inquit, levitas id in sanctis angelis indicat, quod terreni corporis sarcina liberi toti absque ulla admisione vel pondere ad celsa ferantur; quod autem nudi et discalceati describuntur, hoc significat quod liberi, et absoluti, et expediti, atque exterioris omnia dejectionis lae sint puri, et ad divina simplicitatis similitudinem pro viribus tendant. » Hec est penna, quam tempore et tardo angelo, id est episcopo Laodicenis committatur Christus, *Apo. iii.* 16 : « Quia, inquit, tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te vomere ex ore meo. » Quod enim illic est, episcopum illum instar aquae tepidae nauseam excelsam vomere, hoc ipsum est hoc loco cunctantem sponsum praeterire, quae dum necit moras et tempus trahit, sponso suo stomachum movet. Id vero tum demum illa agnoscit, cum sponso aperuerit, quod antea dum in deliciis ageret et divitiis abuteretur, non cognoscebat, se inquam (ut saepe memorato episcopo objicitur) tum maxime miseram fuisse, miserabilem et pauperem, eam et nudam, cum tibi videbatur dives, locupletata et nullius indigere. Porro Richardus Victorinus per passulum vel seram accipit parvos et leves defectus : « Sera, inquit, cum parva sit et angusta, latitudinem tamen ostii concludit, ut nisi illa reserata patere non possit : ita haec minima, nisi resciendantur, non dignatur deflectas ita venire ad animam, ut perfecte ad eam intret, et perfecta gratia eam repleat : parva enim negligentia obscurant animam, et impedimentum faciunt amplioris gratiae. »

Tropologicè idem Richardus docet Deum studio sese subducere ab anima sancta, ut majus sui in ea desiderium excitet : « Cum anima, inquit, se digniorem Dei susceptione exhibuerit, non illi se praebet Deus sicut desiderat, sed ab ea declinat, ut in humilitate eam conservet, et desiderium ejus amplius excitet ac perfectius implet. Cum enim ex ipsius declinatione humiliata fuerit et magis fervens, ex hoc et meritum ejus crescit, et plenus cum suscipere digna fit. Tunc autem declinare is dicitur, quando presentiam suam sentire non dat, cum tamen et praesens est. » S. Gregorius vero et Nyssenus docent Deum a contemplativis se abscondere, quia quo altius ad Deum contemplando ascendunt, eo altiores sua contemplatione Deum deprehendunt, ut Deus vi-

deatur fugere ab eis, sicut videntur navigantibus fugere montes et sylvae, cum juxta eas navigant. » Symbolicè Philo Carpathus haec adaptat S. Thomae Apostolo : « Tunc, inquit, manus illius steterunt myrrham, etc., cum ad illud Dominum preceptum, *Joan. xx.* 25 : *Mitte manum tuam in latus meum : et noli esse incredulus, sed fidelis,* latus Jesu manibus suis contrectavit, et in clavorum loca digitos immisit. Distillaverunt autem myrrham gratibus, quando et ipsis predicavit, quod ad aliorum utilitatem dubitando palpavit. Clauserat ante cordis ostium resurgenti Domino fratri suo, aperuit mox, et manus ejus palpavit Christum ipsum, qui dixerat : *Nuntiate fratris meis, ut eant in Galileam, ibi me videbunt,* » *Matth. xxviii.* vers. 10.

TERTIUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et B. Virgine.

Primo, haec referas ad continuam mortificationem B. Virginis, qua Christo aperuit ostium mentis, ad ascendendum quotidie in omni virtute et sanctitate ; secundo, surrexit illa, cum Verbo in ventre concepto abiit in montana, ac sua saluberrime sanctificavit Joannem Baptistam et Elisabetham. Audi S. Ambrosium, lib. *De Isaac et Anna*, cap. vi : « Postquam in utero concepit animam, et concepit desiderium videndi Deum, surrexit, ut propius eum videret; surrexit autem per vigorem atque virtutem : presentia enim Verbi hausit animam virtutem, sicut presentia Mariae cum utero gravis esset, erudit Joannem in utero constitutum, ut exultaret presentiam Domini recognoscens. »

Tertio, haec referas ad studium et zelum quem ipsa habuit, ut per apostolos aliosque converteret Iudeos et omnes gentes; unde Rupertus : « Pessulum aperui, » id est, inquit, rupi silentiam, aperui os meum, ut erudirem alios : addiditque primo, manus stillare myrrham mortificationis; secundo, digitos plenos esse myrrha probatissima probationis et discretionis; tertio, pessulum, id est os aperiri ad predicandum : hic enim congruus est ordo, ut praedicatio sit efficax multis que convertat.

Quarto, et ad ille declinaverat, referas ad amissionem filii Jesu duodennis, quando tarde, scilicet vespere eum requirens mater non invenit, ac triduo eum magno labore et dolore quaerens, tandem reperit in templo inter doctores : rursus angogice referas cum Philone Carpatho et Bapto ad ascensionem Christi abeuntis in caelum.

Quinto, B. Virgo myrrham stillavit, cum vidit Christum in cruce patientem, ejusque infans dolore et amore compassa est : mater enim passiva est in filio; unde concipissa Hespaleuse II, cap. xiii, haec concomitantem et quasi correlativè attribuit Christo, cum constet proprie et precise a iudici de B. Virgine : « Salomon, inquit, in Cantic-

est, prelati et principibus vel dormientibus, vel haeresi faventibus; sed Deus tandem eis opposuit S. Joannem, S. Platonem, S. Bonifacium. Sub annum 400, invaluit secta nicolaitarum, ac innudavit ubique gula et luxuria, utpote hominibus ultra eum promoventibus; sed Deus tandem eis opposuit E. Romualdum et camaldulenses, viros vite sanctae et austeri, et Bernonem Burgundum Comitem, fundatorem camaldulensium, ac S. Brunonem, qui Carthusiam instituit anno Domini 1084, ac S. Bernardum, qui cisterciensium fuit auctor sub annum Domini 1100. Rursum sub annum Domini 1200, exorta valdensium haeresi, ad mihdo in omnia seclera prolapsa, Deus tandem excitavit S. Dominicum et S. Franciscum, qui per religiosorum suorum ordinum vitam castigarent, pristinaeque fidem et virtutem restituerent. Post ducentos annos ex inferis in orbem eruperunt husita, contra quos Deus immisit S. Bernardinum Senensem et S. Vincentium Ferrerium. Denique superiori saeculo et Tartaro ebulit Lutherus, Calvinus, Memmo, qui omnia veterum haeresum monstra renovaverunt, quibus Deus opposuit S. Ignatium cum Societate Jesu, aliosque viros doctrina et religione praestantes. Vide Thomam Bosium, *De Signis Ecclesiae*, lib. IX, cap. iv et seq., ubi ostendit per religiosos ubivis gentium propagatum esse fidem orthodoxam, ac mores fidelium reformatos quovis saeculo.

Porro Chaldaeus more suo haec applicat Iudaeis et Synagoga, a qua ob tarditatem erendendi, Deus se et suam fidem et cultum abstulit. Unde verit : « Cum prevaluit contra me plaga fortitudinis Domini, obstupui propter opera mea, et sacerdotis obtulerunt oblationes, et adoleverunt incensum aromatatum, et non fuit acceptum cum beneplacito, quoniam Dominator saeculi clausit portas potentiae in conspectu meo. Dixit Christus Israel : Vultis quaerere doctrinam a facie Domini, ipse autem abest majestatem suam de medio mei. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Jam dicta de Ecclesia, dicto animae pie matulo nomine : anima enim evocata a Christo ad majorem perfectionem et conversionem animarum, dum trepidè et tarde obedit, sui torporis tandem plenè offerit myrrham, id est mortificationem et penitentiam Christo, qua desiderium suum castiget; sed ille pertransit, ac priorem illam heroicam gratiam, quam oblatam illa respuerat, negat, ac minore dat. Rursum negat illi gaudia et consolationes spirituales ac fructum animarum, quem collegisset, si illico Christo vocanti parisset. Insuper tarda et difficilia dat ei auxilia, idque facit iustis de causis, uti recte notat Vigilantius, *primus* quidem ad puniendam

praeteritam nostram tarditatem et inobedientiam, per quam diu illum pulsantem negleximus, et fors stare permisimus, quem debuissimè intro-mittere, et obvius unis excipere : non enim potest melius ista sponsa tarditas puniri, quam ut vicissim sponsus eam cogat praestolari, ut sicut volente introire sponso, nec statim ipsa consensit neque occurrit, sic vicissim sponsus volente conjugi sponso, ipsiusque ad se introducere, sponsus non statim obtemperet ejus in hoc desiderio; et quomodo illa inutilis protraxit moras, et injustas praestulit occasiones, ne sponsum statim reciperet : sic iustis rationibus iste non statim se ostendat quaesitus, differatque sponsae illius desideria, ad amplexus dilecti ardentem suspirantis, illa ut cogatur jam quaerere cum dolore et labore eum qui se prius ante janam ultro videbatur offerre. *Secundo*, id facit, ne Christi sponsi presentia et gratia animae valescat, sed ab ea magni fiat, utpote quam videt se cum tanta difficultate recuperasse, quare eam recuperatam studio et caute conservet, ne deperditum frustra requirat.

Manus ergo et digitus ejus, id est omnes operationes ejus distillant myrrham, id est carnis mortificationem et penitentiam, quae unica est via ad recuperandam Dei gratiam, praesertim heroicam. De se ergo talis anima jejuniis, vigiliis, gemitibus, disciplinis, ciliciis, elemosinis, etc., ut sponsum revocet. Porro myrrha debet esse *probatissima*, ut scilicet pro solius Dei honore, pro aedie et vitiorum extirpatione, pro fervoris et virtutum augmento, pro animarum conversione, non propter aliquod temporale lucrum vel commodum ultro assumatur : sic per eam sponsum rursus in cordis sui, etque proximorum hospitium reducat; unde Nyssenius : « Surrexit, ait, anima pia ad studium mortificationis, ut per illud ostium aperiret Deo : » sic Cassiodorus, Beda, Anselmus, Rupertus, Justus, Richardus et S. Gregorius, quem audi : « Sed *digiti myrrha probatissima pleni* esse perhibentur, quia in omni quod agitur semper necesse est ut mortificatio carnalitate teneatur; quae tunc *probatissima* esse jure dicitur, quando in omni suggestione, quae ab hoste ingeritur, sine cessatione voluptas carnalis cavetur, ne suscipiatur; quod quando fit, omnis duritia mentis dissolvitur, et ut sponsum intret ad cor aditus praeparatur. » Abit ergo sponsus ab anima sancta per negotiationem majoris gratiae, gaudiorum et consolationum spiritualium; idem tamen anima praesens est per justitiam et auxilia gratiae ordinaria : sic saepe Christus animabus piis sua gratia est praesens, suavitate vero et consolatione est absens.

Vide quam caro constituit sponsae hae emunctio, unde Theodoretus : « Quantum parat, inquit, detrimenti pigritia, et quantum laboris afferat ingavia, hinc perdisceamus : dum enim excusat se

cis canticorum, passionem carnis Christi predicans, ait: *Munis meae distillaverunt myrrham, et digiti mei gutturi*; ubi specialiter ostenditur in manibus ac digitis solam carnem Christi in stipite infixam, sicut in Psalmis: *Confite clavis timoris tui carnis meae*, et *Psalm. CXVIII, 420*.

Scato, B. Virgo stillavit myrrham, cum corpus Christi sui mortuum myrrha per Nicodemum peruenit ad sepulturam; unde S. Ambrosius, lib. III *De Virgini*: « Quam, inquit, myrrham distillant manus, nisi illam quam obtulit justus Nicodemus magister in israel, qui meruit lavari prius audire mysterium, qui attulit mixturam myrrhæ et aloes, quasi libras centum, et misit in corpus Jesu? perfectum utique odorem attulit. Illico odorem fragrat anima, quæ Christo aperire incipit, ut accipiat primum odorem dominicæ sepulture, et credat, quia caro ejus non vidit corruptionem. »

Denique S. Ambrosius in *Psalm. CXVIII, serm. 12*, nova et declinaverat accipit pro penetraverat in infima mentis: sic enim inquit: « Potest quidem et sic accipi: *Prætor meus transiit*, sicut legitimus quod penetravit dilectæ infima medullarum, et quemadmodum ad Mariam dictum est, *Luce. II, 35*: *Et tuam ipsius animam pervenit gladius, ut reventur ea multis cordibus cogitationes*. » Porro Honorius ostendit et pessulam sic B. Virginii attribuit: « Sacra Virgo, inquit, ostium fuit, per quod Christum in mundum introivit, pessulam autem erat moles peccatorum hominum, quod ideo ab ea aperitur dicit, quod a Spiritu Sancto preservata, non sicut cæteri in peccato creditur concepta, insuper et sancte vivendo peccata declinavit; sicut dilecto ingressus patuit, quia per ipsam misericordia in Ecclesiam venit. Quotidie etiam ingressum peccatorum removet, et per eam ingressus gratiæ Christi ad nos venit: » hæc Honorius in *Signillo*.

ANIMA MEA LIQUEFACTA EST, UT (DILECTUS MEUS) LOCUTUS EST: QUÆSIVI, ET NON INVENI ILLUM: VOCAVI, ET NON RESPONDIT MIHI.

VOCAVI, ET NON RESPONDIT (Arabicus, non obediit) MIHI. — Hebræa, anima mea egressa est in sermone ejus: sic et Arabicus. Est metalepsis: sicut enim cera igne liquefacta a seipsa quasi exit, id est effluit et diffundit, sic et anima calore Verbi Dei successa amore quasi liquecit, solvitur et diffundit, ut a se exire, et in sponsum quem diligit transire et effluere videatur. Sunt verba sponsæ penitentis dolentisque de suo sopore et tarditate, quod illico sponsus pulsanti ostium non aperuerit, q. d. o me miseram, quod sponso illico non aperui, sponso, inquam, qui ex mei amore frigori et rori nocturno se exponens, tam comiter et blande me, ut aperirem, compellabat dicens et obsecrans: « Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore: » quare ita ejus dulci, amoroso

et ignito eloquio delectabar, ut mens mea ex se exire, liquecere, viribus destitui et animo liqui videretur. Quamobrem tarditatis meæ sero penitens illum quesivi, sed non inveni: vocavi, et non respondit mihi. Hoc ipsum Sapientia comminata est, *Proverb. I, 24*, dicens: « Quia vocavi, et tenuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id, quod testabaris, advenit. Cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit: tunc invocabunt me, et non exaudiam: mane consurgent, et non invenient me. »

anima mea desideravit vocem verborum ejus, quesivi majestatem gloriæ ejus, et non inveni: oravi coram eo, et ipse obumbravit cælos nubibus, et non suscepit orationem meam. »

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Anima prelatorum Ecclesiam amore et dolore liquefacta est, cum audierunt vocem Christi conquerentis de tot tantisque arianorum, mahometanorum, lutheranorum, calvinistarum, etc., impiorumque christianorum blasphemis et injuriis sibi Deoque irrogatis: quare illis strenue se opponere conperunt; sed quia initio id facere tardaverunt, ac eorum tarditate hæreses et vitia magis propagata et radicata fuerunt, hinc illa statim eradicare nequiverunt. Quare Christum multis in locis et personis tum quæsierunt et non inveniunt, ut paulo ante dixi: hic verum est istud: « Noluisti, cum potuisti; non poteris ergo, cum volēs: » hoc enim est justum Dei judicium, justique tarditatis vindicta. Accedit quod multi catholici, etiam principes et prelati arianos aliosque hæreticos fovierunt et defenderunt, eisque Ecclesiam et ditiones suas prodiderunt, adeoque ipsi facti sunt ariani et heretici, imo hæreticorum antesignani: quare perfidia est et scelus immane, et pœnæ inexpiabile, ob quod Deus in eorum ditibus hæreses dominari permisit, et etiamnum permittit, quia sollicit pastores ovium facti sunt curum lupi et prodiores, easque diabolo devoverunt et tradiderunt: pastores enim suos utro secute sunt oves, ob vite carnisque licentiam, quam eas verbo et exemplo docebant.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Anima pia, sentiens internam igneamque Christi in mente loquentis vocem, quasi errore et desiderio ipsius liquecit, quia amor est desiderii, qui resolvit et liquat cor: sicut ergo ignis calore liquat ceram, sic Christus amore liquat mentem, omnesque ejus vires et potentias: ita

Cassiodorus, Beda et S. Gregorius, quem audi: « Audi verbum sponsæ: liquefactam se dicit, quia dum Christus se per spiritum suum anime desideranti infundit, omnem duritiam cordis mox dissolvit, et aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, ut vix capere possit hoc, quod se sapere intra se exsultat, et intus miretur quid fuerit, et quid factam subito seipsam videat. Quem liquorem dum sentit, perfectius apprehendere concupiscit; et aliquando dum hoc ipsum cogitat, hoc quod modo sentiebat jam non sentit; unde sollicitatur ad quaerendum, ut hoc idem inveniat; sed aliquando cum etiam diu fatigetur non invenit, quod modo tam presens tenebat. » Idem, lib. IV *Moral.* cap. xxx: « An non, ait, robore suo fessam se invenerat quæ dicebat: *Anima mea liquefacta est*, etc., quia nimirum mens dum occulte locutionis aspiratione tangitur in statu sue fortitudinis, ipso quo absorbetur desiderio liquatur; inde se apud semetipsum fessam invenit, unde ultra se esse conspiciit fortitudinem quam concedit; hinc Propheta cum visionem Dei se vidisse diceret, adjungit: *Elangui, et exprobrati per dies plurimos*, » Dan. viii, 27. « *Liquefactio*, ait D. Thomas, I, II, *Quæst. XXVIII, art. 3*, importat quandam mollificationem, qua exhibet se cor habile, ut amatum in ipsum subintret: » nam, ut ait S. Augustinus, tract. II in *epist. 3 S. Joan.*: « Amor quem afficit, in illud mutat, in quod amando fertur: talis, inquit, est quisque qualis ejus dilecto est; terram diligis, terra eris; Deum diligis, quid dicam? deus eris? Non audeo dicere ex me, Scripturam audiamus: *Ego dixi: Deus estis, et filii Altissimi omnes*, » *Psalm. LXXXI, 6*. Hinc sciatis se illudi a demone, qui interior vel exterior afficitur verbo Dei, si cordis ejus durities non liquecat, ut mores in melius mutant, et Joannes Carmelita sic explicat, q. d. Quando sponsus pulsans me alloquitur est, ipsius igne conceptu liquata sum: anima quippe vel spiritualibus poris solutis, illi tota paruit: nam frigore corpus constringitur et constipatur; calore resolvitur, porique patefunt. Sic anima hyemali culpæ rigor premitur ac contrahitur; divino vero charitatis calore rarescit, tolaque velut poris aperta illa dehiscit, ut sponsum tanquam quædam spongia concipiat.

Rurus Philo Carpathus, Cassiodorus, Justus, Richardus et alii, ex hoc loco docent animam piam desiderare quiete soli Deo vivere, ejusque consolationibus frui; ad Deum subinde eam non exaudire, illaque ei denegare: « Pacem, inquit Philo, querit sponsa in nocturnis, quibus in hac lacrymorum valle afflicta, nec invenit in corpore, aut verum caducum usu vocat, nec exauditur, cum orando, meditando dulcedine illius divini presentie satiari appetit, nec illi datur quod exoptat. Vellet enim interna illa suavitate assidue frui, sed corruptibili mole corporis impedita sæpe sonata decedit. »

Mystici, sive contemplativi, hanc liquefactionem in anima fieri censent per vehementiam contemplationis et amoris divini, quam ita explicat Richardus de S. Victore, tract. *De Gradibus charitatis violentæ*: « Tertius amor gradus est, quando mens hominis in illam rapidus divini luminis abyssum, ita ut humanus animus in hoc statu exteriorum omnium oblitus, penitus nesciat seipsum, totusque transeat in Deum suum, et faciat quod scriptum est, *Psalm. LXVII, 49*: *Etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum*. In hoc itaque statu plene compossicitur, profundèque sopitur carnalium desideriorum turba, et fit in celo silentium quasi hora dimidia; et quidquid molestiæ inest absorbetur a gloria. In hoc statu, dum mens a seipsa alienatur, dum in illud divini arcani secretarium rapitur, dum ab illo divini amoris incendio undique circumdatur, infime penetratur, usquequaque inflammatur, seipsum penitus exiit, divinum quemdam affectum induit, et inspecte pulchritudini configurata, tota in aliam gloriam, transit. » Exemplum affert ferrum, quod ex se frigidum et nigrum, vi ignis sensum incalescit, candescit, ac tandem plane ignescit, « ita ut totum liquefiat, et a seipso plane deficiat, et in aliam penitus qualitatem transeat: sic itaque, sic anima divini ardoris rigor, intimique amoris incendio absorpta, æternorum desideriorum globis undique circumsepta primo incalescit, postea incandescit, tandem autem tota liquecit, et a priore statu penitus deficit. » Addit Dionysius Carthusianus, tract. *De Fontibus lucis*, xvii: « Dum mens contemplationis mysticæ est intenta, inflammato et velut commoto ac irritato amore, incipit amor ipse quodam modo ebullire, ac superfervere, suaque sacra violentia totum corpus concutere. Quod autem fervet, quædam caloræ ac desiderii sui violentia extra seipsum projicitur, et supra se tollitur, quasi ibi esse dedignetur, unde tam vehementer se jactat: sic et mens transfixa amoris fervore, quasi extra corpus jactare se nititur, et usque ad summum volare molitur. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Rupertus docet B. Virginis animam, post Christi ascensionem in cælum, ejus recordatione et desiderio liquefactam: « Licet, inquit, Christus abisset in cælum, tamen ut ego aperui os meum, et locuta sum de eo, tunc et dilectus meus locutus est eo sensu, quo Paulus ait, *II Corinth. XII, 3*: *An experimentum queritis ejus, qui in me loquitur Christus?* et liquefacta est anima. Flebam, et præ festibus erumpentibus non poteram verba contextere; verum fletus delectatio erat mihi: quoties enim aliquid desiderabam, quod a sponso factum esset in terris, toties anima mea lique-

bat: et erat simul ignis amoris et gladius doloris: et sicut gladius flere facit de corpore sanguinem, et ignis adipem liquefacit, sic verba illa animam meam. Atque etiam quoties aperiebam mentem ad considerandum, quod dilectus meus discesserat, anima illico liquefacta erat. »

VERS. 7. INVENERUNT ME CUSTODES QUI CIRCUMEUNT CIVITATEM: PERCUSERUNT ME, ET VULNERAVERUNT ME: TULERUNT PALLIUM MEUM MIHI CUSTODES MURORUM.

Pro *pallium*, hebraice est *רדידא reddid*, id est *theristrum*, ut vertunt Septuaginta, hoc est pepulum seu velum, quo sponsae nobiles caput et humeros obvelant in signum pudoris et pudicitiae. Hi custodes diversi sunt ab illis cap. III, 3, ait Theodoretus, hi enim vulneraverunt sponsam, eique pallium ademerunt; illi vero eam jecerunt et faverunt: quare hi custodes erant terrene civitatis, illi vero supernae et caelestis, puta Ecclesiae.

PRIMUS SENSUS

ADAEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

S. Gregorius haec in bonam partem interpretatur; unde per *custodes* accipit doctores et praedicatores, qui fideles in Ecclesia gladio verbi divini ad compunctionem vulnerant, et pallio, sive velo ignorantiae et saecularium desideriorum spoliant; sic et Philo, Cassiodorus, Beda, Haymo, Anselmus, Rupertus et Gilbertus, *homil.* 43. Huc accedunt Nyssenus et Psellus, qui per *custodes* accipiunt angelos, qui Ecclesiam et animam piam, sed tepidam, per tribulationes castigant et stimulant ad fervorem: sic et S. Ambrosius, *lib. III De Virgine*, qui et addit hos pallium ei abstulisse: « Quia, inquit, actum corporalium involucrem sustulerunt ab ea, ut nada mentis simplicitate quaereret Christum, quia nemo potest amictu vestitus philosophiae secularis videre Christum: quae enim Deum visura est, mundo corde incedere debet. » Vide eundem, *lib. De Isaaco et Anima*, cap. VI.

Mellius et germanius Theodoretus, Justus, Angelomus, Titelmannus et Luysius haec in malam partem accipiunt; unde per *custodes* intelligunt reges et tyrannos haereticos, vel perversos, ad pravos Ecclesiae praelatos: hi enim Ecclesiae et republicae eius officio sunt custodes, sed sua nequitia ejusdem sunt proditores. Tales fuere reges ariani, ut Valens, Theodoricus, Gensericus, Hunericus, caeterique qui in persecutione gothica et vandalica, Ecclesiae orthodoxos doctores et episcopos bonis libertate et vita spoliarunt, ac martyres effecerunt. Tales quoque fuere impii episcopi et praelati, qui in haeresim declinarunt, ut Dioscorus, Nestorius, Eutyches, Pelagius, Priscilianus, etc., qui *pallium* Ecclesiae per schisma et

haeresim disciderunt, eique suam pudicitiae et integritatis gloriam (quam pallium denotat) abstulerunt. Addit Theodoretus tyrannos ademisisse martyribus *pallium*, id est corpus, cum eos occidendo corpore spoliarunt; Justus vero per *pallium* accipit templa quae demoliti sunt, et S. Scripturam quam combusserunt. Deique per *pallium* accipi possunt insignes doctores, episcopi, martyres, quos Hunericus et similes vel occiderunt, vel in exilium egerunt: hi enim Ecclesiam ornabant et defendebant ut pallium: vide Vietorem, *De Persecut. Vandalica*. Evasi tamen Ecclesia sospes manus istorum sponzorū Penelopeae, ac per sinceros episcopos et animosos doctores fidei ac morum integritatem docere et propagare non destitit. Hac de causa Christus, discissa tunica, apparuit S. Petro episcopo Alexandrino et martyri, dicens: *Arius tunicam meam discidit*, ut habet ejus *Vita*.

Huc accedit Chaldaeus, qui judaice haec accipit de Chaldaeis vastantibus Jerusalem: hi enim typos fuere tyrannorum vastantium Ecclesiam: « Comprehenderunt, inquit, me Chaldaeis, qui custodiebant vias, et obsidebant in circuitu contra civitatem Jerusalem; quosdam meorum occiderunt gladio, et quosdam meorum duxerunt in captivitatem. Tulerunt torquem regium Sodeciae regis Juda de collo ejus, et duxerunt eum in Ribla, et excoecaverunt oculos ejus populi Babylonis, qui obsidebant civitatem, et custodiebant muros. »

Symbolice, Lucas abbas per *custodes* accipit demones, qui animas suis tentationibus vulnerant, et easque pallio puritatis baptismalis spoliant.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Animae virtutis et perfectionis avidae incidunt subinde in fictos pravosque doctores, consultores, confessorios, socios, etc., qui eas perniciosis dogmatibus, consiliis, suggestionibus vulnerant, ut puritatis et innocentiae suae damnum vi pallio, instar Joseph, relicto effugiant, quare pia animae tales hypocritas soleriter discernere studeant, ac cognitos ut pestes fugiant: hi enim sunt, non pastores fidei, sed leones peridi, quae animas innocentes et puras, Deo devotas, Veneri et demoni stuprandas per summum scelus offerunt, imo sacrificant et immolant, idque per blanda verborum et scriptorum lenocinia, quae sub fucato melle amarissimum fel et exitiale virus contegunt.

Tropologicè S. Hieronymus, *epist. 22 ad Eustochium*, ex hoc loco evincit virginem debere domi se continere, ne, si domo exeat, in pudicitiae insidiatores incidat, qui et pudicitiae pallium adimant.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Guillelmus haec applicat scribis et pharisaeis, qui blasphemando et vulnerando Christum, blasphemarunt pariter et vulnerarunt ejus matrem: « Eo ipso, inquit, quo famam dilecti mei gladio linguae suae tam crudeliter lanceaverunt, maternum in me affectum infictis dolorum vulneribus consanciarunt. Praeterea, quod potuere, expolaverunt me stola gloriae meae, pallio laudis, quo operiebar, cum diceretur, *Luc. II, 27: Beatus venter, qui magistrum bonum portavit, et ubera quo sagera dignatus est*: haec gloria me nudantes, quantum potuerunt, induerunt me diploide confusionis, infamando me tanquam matrem pestilentissimi seductoris; sed evasi horum omnium manus, nec filius meus passus est amplius eos in me sevivere. »

VERS. 8. ADJURO VOS, FILII JERUSALEM, SI INVENERITIS DILECTUM MEUM, UT NUNTIETIS EI QUIA AMORE LANGUO.

Hebraea *חולה chola*, id est *infrma sum*; Septuaginta, *adjuro vos, filia Jerusalem, in virtutibus et viribus agri, si invenieritis fratrem* (Complutensis *negotem*, Graece *ἀδελφόν*, de quo egi superius *meum, quid amantabitis et? quantum vulnerata charitatis (vel charitate) ego sum*; Arabice efficaciter, *quia ego sum amor vulneratus*. Quid non agit, quid non patitur amor vulneratus? Similem adjurationem et languorem amoris in sponsa, sed adolescentula audivimus cap. II, vers. 4 et 5 (vide ibi dicta); hic vero femine plenae sibi quoque aetatis major est languor. *Amore languo* ergo idem est, quod amore deficio et tabesco tum corpore, tum mente ob dilecti absentiam: infirmitatis claustrum coarctantur, disciplinantur anxietatum virginitatis, et spinis dolorum jejuant, vigiliant, laborant, quia cibum, somnum, quietem infirmitas negat. »

PRIMUS SENSUS

ADAEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Per *filias Jerusalem* animas sanctiores accipiunt

Theodoretus, Cassiodorus, Beda, Justus, Anselmus; minus sanctos vel novitios Theodoretus, Honorius et Rupertus; angelos et homines beatos accipiunt Philo, Psellus et Lucas abbas. Plenus cum S. Gregorio et Haymone haec omnes accipias: Ecclesia enim amore Christi languens et saucia obtestatur omnes sanctos, tam angelos quam homines, sive vivos, sive vita functos, ut Christo hunc suum languorem amittant, ut illi medeatur, mittendo scilicet homines apostolicos qui haereticos, infideles malosque christianos, qui Christo injuri Ecclesiam male mulcerant, convertant, ut et ipsi Christum ament et colant: quare de eorum injuria et vi sibi suisque doctoribus, et martyribus illis non queritur, sed eas silentio legit, optans eis misericordiam et salutem, non suam de eis vindictam, dicens cum Christo in cruce, *Luc. xxiii, 34: « Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt; »* et cum S. Stephano, *Act. vii, 59: « Domine, ne status illis hoc peccatum. »* Sponsa igitur, ad dilectum toto inhians animo, omnem adhibet conatum et suum et externum; advocat igitur ad sua vota externas etiam preces, quia his adjunctis collectae vires divinum pectus oppugnant, atque adeo expugnant vehementius: ita Delrio, Sanchez et alii.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Anima pia obtestatur omnes sanctos angelos et homines, ut pro se apud Christum sponsum intercedant, eique ardens suum desiderium illum magis amandi, illique magis placendi et serviendi annuntient, ut ipse illud expleat, praesertim in zelo amandarum, quo languet, ut plurimos, imo omnes ad se convertat. Audi Nyssenum, *homil. vers. 13: « Quia dilectionem suam nobis probavit preclarus animarum sponsum, qua pro hostibus mori non designatus fuit; ideo sponsa vicissim amore erga illum, a quo preventa fuerat, incoens demonstrat his verbis amoris telum imo in pectore latens, nempe divinitatis ipsius communicationem: nam Deus est dilectio, quae per fidei vive cuspidem in cor penetrat. Nomen autem teli (D. Paulo teste) est fides per dilectionem efficaciter se declarat. »* Tales dicunt cum S. Paulo, *II Corinth. xi, 2: « Emulor vos Dei emulatione. Respondi enim vos ut viro virginem castam exhibere Christo: »* « sic non deficientes languescite, sic in amore sponsi mecum adolescite, » ait Guillelmus. Languor ergo hic et defectus « non finis amoris, sed incrementum est, » ait S. Ambrosius *in Psalm. cxviii, octon. 11, 1. « Sed quo magis lassatur affectus, eo amplius amor crescit; et quo diutius abest qui desideratur, eo expectantis desideria majore quadam vi amoris ignescunt: caro deficit, sed cupiditas altitur et augetur. Hinc ergo colligere possumus*

quid sit deficit in salutare tuam anima mea, Psal. CXXIII, 81 : etenim spiritui adhaerens anima deficit ab eo quod est anima, et fit unus spiritus, quoniam qui adhaeret Domino, unus spiritus est. Itaque sanctus et timens Deum nescit illud desiderare, nisi salutare Dei, quod est Christus Jesus : illum concupiscit, illum desiderat, in illum totis intendit viribus, illum gremio mentis fovet, illi se aperit et effundit, et hoc solum veretur, ne illum possit amittere. Itaque quanto maiore desiderio excitata fuerit anima cupiens adherere salutari suo, tanto magis deficit. Ergo ista defectio imminutionem quidem fragilitatis, sed assumptionem virtutis operatur. »

Languoris huius vim et indolem egregie depingit Gilbertus hic, serm. 46 : « Non languet amor, inquit, sed languet amans. Ubi viget amor, ibi viget languor, si absit quod amat. Quis est hic languor, nisi affectio quaedam de absente dilecto, amantem conficiens. Amor vehementis patientis simul afficit et carnem et mentem. Illius extinguunt motus; mentis hilaritatem perstringit quodam tristi affectu, et desiderio absentis dilecti. Languet caro, dum ejus languidior et remissior motus efficitur : languet animus, dum æstuantis voti nimietate conficitur. » Deinde patiens interfectus causam assignat : « Nimirum exestans amor pallentis animi vires exhaurit : quæ est enim humana mens fortitudo ut sustineat, cum eam ille coelestis amor sponsi impatienter exagitat ? Liquefactus in hac exercitatione se fugit animus, amoris violentiam ferre non valens : sic enim in consummata materia et jam deficiente, languidiora redduntur ignis incendia : et Deus noster ignis consumens est. » Denique languoris huius felicitatem et effectum subjungit : « O potens et præpotens passio charitatis ! si non temperatur, non toleratur : jure potens, quæ animum quem possederit sui ipsius efficit impotentem. Cum semel fuerit accessa in mentem, attingit a fine usque ad finem fortiter, facit ad quod venit, et prosperatur, et crescit, nec deficit, donec deficientem reddiderit animam : sicut enim hic corporalis languor non est semper æqualis vehementiæ, sed est aliquoties ejus intensior passio; sic et amoris affectio, etsi juxta desiderio se tendit in dilectum, aliquando quidem intensioribus votis exæstuat, hora orationis maxime. » Id re ipsa se per visum expertum narrat Rupertus abbas Tuitiensis, lib. XII in cap. XXVI Matth. pag. 192, col. 2, initio : « Venit, inquit, desuper quasi similitudo viri prони et æqualiter extensi, solam quam maxime faciem suam occultans; et in me demissa totam complevit animæ meæ substantiam, eo modo mihi impressa, quem verbis exprimere nullatenus possum, multo citius atque profundius atque cetera quamvis mollioribus, sigillum fortiter impressum admittit possit. Porro somno, qui vix obrepserat, excussus sum, et vigilans sensi dulce pœ-

cus; vigilans dolectatus sum; et quid dicam? anima mea liquefacta est, anima mea Domino defect, pene de corpore effusa est. » Iam vere tanto gaudio se perfusus aasserit, ut nisi illa sanctæ voluptatis innumèratè cito se continuisset, animam velociter de corpore abstraxisset.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Languēbat Virgo amore Christi et zelo animum, atque desiderio fruenti Christo post ejus ascensionem in cælo. Audi Rupertum : « O filia Jerusalem, quæ vere esis filia Abraham, semen Juda, filie quoque David secundum fidem, credendo in eum, qui est rex superne Jerusalem, factusque est filius David secundum carnem, ad juro vos per hanc ipsam fidem qua filie Jerusalem factæ esis, si inveniatis ante me, ut sepe fit, discipulæ ante magistrum exeuntes de corpore, intronissæ ad conspectum ejus, ut annuntietis ei, quia amore languēte præ magno facie ejus videndæ desiderio, vitæ tedium patior et vix presentis exilii moras sustineo. Quorsum hic adjurat? Nonne dilectus cuncta noverat, et in his amorem sponsæ amanti, etc. Quorsum igitur tendit hæc adjuratio? nonne ut percussa percutiat, ut vulnerata vulneret, ut audientes filia tantum in matre vitæ future, quæ non vilietur desiderium, in mente persentiant et ipsæ talem esse dilectum, ut jure propter ipsum quævis fastidiat hoc præsens sæculum, jamque inter moras presentis vitæ magis ac magis cupiant eum agnoscere saltem per speculum, saltem in ænigmatè? »

Audi Sophronium, serm. De Assumpt. Deiparæ : « Puto, inquit, quod quiddam cordis est, quiddam mentis, quiddam virtutis humane, si totum adhibeas, non sufficit, ut cogitare valeas quanto indesinenter cremabatur ardore pii amoris, quantis movebatur repleta Spiritu Sancto coelestium secretorum incantamentis, quia etsi diligebat Christum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute, novis tamen quotidie inflammabatur presentia absentis desideriorum affectibus; tanto siquidem validius, quanto divinis illustrabatur spiritus visitationibus, quam totam repleverat Spiritus Sancti gratia; quam totam incenderat divinus amor, ita ut in ea nihil esset manducans et obiectas profusi amoris : nam et Christus ab omnibus est amandus ex toto corde, et ex tota anima, atque ex tota virtute quaerendus; maxime tamen ab ea ardentius, cujus et Dominus erat et filius. »

VOX FILIARUM

JERUSALEM.

VERS. 9. QUALIS EST DILECTUS TUUS EX DILECTO, O PULCHERRIMA MULIERUM? QUALIS EST DILECTUS TUUS EX DILECTO, QUIA SIC ADJURASTI NOS?

DILECTUS EX DILECTO. — Hebraice דוד יודי דוד *did didod*, quod clare veritas, dilectus præ dilecto, quolibet scilicet, puta quem præ dilectis quibuslibet diligis; unde Syrus et Arabicus vertunt, ex dilectis; Septuaginta, ἀδελφῆ; ἠδὲ ἀδελφῆς, id est fraternus a fraterno, sive fratruicis a fratruale, vel nepos a nepote; aut præcise Christus dicitur dilectus ex dilecto, quia qua Deo, genitus est a Deo Patre, sibi ut filio, dilectissimo; qua homo vero, prognatus est a Davide, qui fuit unice Deo dilectus, imo vir secundum cor Dei, 1 Reg. XII, 14 : ita Nysesenus, Philo, Anselmus et Gilbertus, serm. 47.

Ecclesiam vocat pulcherrimam mulierum, quia pulchrior est ipsa omnibus ceteris gentilium, synagogis Iudeorum, academiis philosophorum, lustris atheorum, speluncis hæreticorum : hæ enim meretricis sunt demonis, ipsa vero virgo et sponsa Christi : sic B. Virgo est mater matrum et virgo virginum, ait Guilielmus, *Filia Jerusalem*, id est sanctæ angelorum et hominum animæ reginæ ab Ecclesia, ut dilectum a se frustra in animalibus impiorum quaesitum reperiant, vicissim rogant, qualis sit ejus dilectus cujus amore languet, non quod hoc ignorent, sed ut ejus desiderium in ipsa acuant accendantque, utque ipsi ansam præbeant eum effusissime laudandi, ejusque formam, dotes et pulchritudinem a capite ad talos graphicè depingendi : atque hoc est languoris ejus remedium, nam qui amore languentes recreare cupit, nil præstare potest opportunius, quam cum illis de eo quem amant miscere sermonem; hinc S. Dominicus, amore Dei flagrans et languens, non poterat de alia re, quam de Deo cogitare et loqui.

Tropologie docemur hic crebro meditando, orando, legendo, ruminare quis, qualis et quantus sit sponsus anime nostræ, puta Christus Deus et redemptor noster, ut ex majori bonitatis ejus, magnitudinis, sapientiæ, sanctitatis, etc., cognitione assurgamus ad majorem ejus admirationem, venerationem et amorem : ita Philo. Hinc filia Jerusalem repetunt rō qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia « quo ardentius diligunt, ait S. Gregorius, eo dulcius verba de eo repetunt, ut per repetitionem dilectionis maximus amor ostendatur. »

VOX SPONSÆ.

VERS. 10. DILECTUS MEUS CANDIDUS ET RUBICUNDUS, ELEGITUS EX MILLIBUS.

Septuaginta et Arabicus, ex myriadibus; Hebraea, כרובה *marububa*, id est pæce myriada, id est præ decem millibus. Sponsa interrogatione vers. 9 ieta, in laudes sponsi omnis sui amoris sinus, omnes lingue et vocis sonos expandit : diligens enim non potest cogitare, loqui, laudare aliud, quam dilectum.

Pro candidus, hebraice est נצ *tsach*, id est candidus, nitidus, limpidus, sudus, serenus, purus,

instar solis meridiani; *Symmachus*, יאיר, id est splendens; nimis enim candor, qualis est nivium, presertim a radiis solis lectus effulget, et quasi effulgurat.

Pro rubicundus, hebraice est אדומ *adom*, id est rufus, qualis fuit Esau, qui ideò dicitur esse Edom; hinc et protoplastus noster dicitur esse Adam, quia e terra rufa a Deo plasmatus est, *Genes* II, 12; Septuaginta, ῥυζός, id est fubus, igneus, sive facie vel oculis igneis, rutilus rufus.

Pro electus, hebraice est דגול *dagul*, id est antistans, princeps excellens, et instar vexilli cæteris emineus; sic Saul dicitur electus et bonus, id est speciosus : « Et non erat vir de filiis Israel melior (id est speciosior) illo : ab humero et sursum eminebat super omnem populum, » 1 Reg. IX, 2 : *dagul* enim dicitur a דגול *degul*, id est vexillum; *dagul* ergo ad verbum idem est ac si dicas vexillatus, magnificatus, insignitus, Marinus vertit, vexillo insignitus myriadas, sive decem millium; alius, *signifer inter decem milia*, qui vexillum decem millibus præfert; *Tigurina*, *sunt signis habens exercitum decem millium*; R. Salomon, *multis stipatus exercitibus*; *Valabius*, *vexillatus in decem millibus*, hoc est, inquit, « generis vexillum (crucis) inter omnes christianos. »

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Pulchritudo, ait Plato, in duobus consistit, primo, in suavitate coloris; secundo, in apta membrorum harmonia : sponsa ergo pulchritudinis sponsi elogia inchoat a colore faciei, docetque eum esse pulcherrimum, scilicet candidum, rubore mixtum et vermiculatum, hoc est roseum, quem Aondoni pulcherrimo dant poætæ; unde *Statius*, lib. 1 *Achill.* :

...Niveo natat ignis in ore
Purpurea.

Et alter :

Candor erat, quem præfert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus.

Sidonius de suo Theodorico, 1, epist. 2 : « Lactea cutis, que propius inspecta juvenili rubore suffunditur; namque hanc illi crebro colorem non ira, sed verecundia facit. » *Plutarchus*, *De Alexandro* : « Alexandrum pingens fulmen tenentem, non representavit Apelles colorem ejus, sed magis fuscum et sordidiorem reddidit, cum fuerit, ut aiunt, candidus; qui color in pectore et facie potissimum purpurascobat; » atque eam candidi rubri coloris « optimum temperaturam » *Galenus* docet; notam vero « bonæ indolis et ingeniosæ » *Aristoteles*; « quam acrem et promptam in disciplinis capessendis, » ait *Polemon*; « continentem, gravem, modestum, magnanimum effect

Alexandrum, » ait Plutarchus. Hæc Noster Pineda, lib. VI *De Rebus Salomonis*, cap. XI. Talis fuit Christi color, teste Nicephoro, lib. I, cap. ult.; unde Psaltes, *Psalms*, XLV, 3: « Speciosus forma, inquit, præ fidei hominum; » rursus Nyssenus, *hom.* 13: « Christus, ait, dicitur candidus propter candidissimam carnem, rubicundus propter sanguinem. »

Symbolice, primo, Christus est candidus ob purissimam et splendidissimam deitatem, quam ab æterno habet; rubicundus propter humanitatem cum sanguine rubro, quam ex Adam, qui creatus est ex *adama*, id est ex terra rubra, et ex Davide, qui erat rufus, in tempore assumpsit: ita Theodoretus, Justus et Gilbertus, qui hic sermões suos continuans, expositionem S. Bernardi terminat, ac S. Ambrosius, lib. I *De Virginitate*, et Anastasius Sinaita, lib. IV *Hexam.*, ubi Christum vocat *solum mundi purissimum et fulgidissimum*: ipse enim est increatum lumen de lumine, Deus de Deo, ut habet Symbolum Nicœnum. Ipse enim « candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius, » *Sapient.* VII, 26: ipse est « splendor gloriæ, et figura substantiæ eius, » *Hebr.* 1, 3. *Secundo* et magis apposite, Christus candidus et splendidus est ob puritatem innocentie, et splendorem sanctitatis, qua ex purissima Virgine natus sanctissimus extitit; rubicundus propter passionem, qua sanguine suo fuit purpuratus juxta illud: « Quis est iste qui venit de Edom, tinctus vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradens in multitudine fortitudinis sue. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcamentum in torculari? » *Isai.* LXII, 4: ita Cassiodorus, S. Gregorius, Philo, Anselmus, Rupertus, S. Hieronymus in cap. LIII *Isai.*, qui et lib. I *Contra Iovinianum* addit: Christus, inquit, candidus dicitur in virginitate, rubicundus in passione.

Rubicundus ergo color mixtus candido notat Christum passum et creantatum fuisse candidum, id est purum, innocentem et impeccabilem, imò ob innocentiam et innocentem veritatem, qua se docebat esse Christum, passum esse mortem et martyrium, qui summus est decor et gloria christianis imitanda, imò ambienda: pati enim nocentem dedecus est culpæ, pati vero innocentem decus est sanctimonie, sancteque patientie. Tunc enim vere dici potest *electus ex milibus*, qualis fuit Christus, qui quasi dux et signifer patientie et martyrii, ejus vexillum omnibus gentibus et sæculis præhæret, quod alacres secuti sunt, et in dies sequuntur tot millia martyrum, virginum, confessorum, qui calumnias, probra, flagella, tentationes et ærumnas quaslibet amore et exemplo Christi forti animo sustinuerunt et superarunt, ac in dies superant; adeo ut Christus vocari possit *signifer patientie et patientium*. Hæc est imago Christi, inquit S. Ambrosius, *De obitu Valentinii imperatoris*: « Valentinianus, ait, meus candidus

et rubicundus, habens in se imaginem Christi, » in quo scilicet innocentia fuit purpurata et occisa, atque hac ratione Christus, non tantum in se fuit candidus et splendidus; sed et omnes in se credentes suo sanguine purpuravit et candidavit, ac suo Patri reconciliavit, et per baptismum et penitentia a peccatis omnibus per gratiam suam abluit, purosque et sanctos, imò martyres, et in calumniis adversisque quibuslibet exsultantes et gloriantes effecit, juxta illud Pauli, *Rom.* cap. V, vers. 3: « Gloriamur in tribulationibus; » Christo illo compefit illud, *Eccles.* cap. VII, vers. 29: « Virum de mille unum reperi, » qui ipse est unicus Dei Filius ab ipso electus et dilectus, in quo ipse sibi complacuit, *Math.* cap. III, vers. 17. Quocirca Esdras ita eum pingit sanctos coronantem: « Et in medio, inquit, eorum erat juvenis statura celsus, eminentior omnibus illis, et singulis eorum capitibus imponebat coronas, et magis exallabatur, » *IV Esdr.* II, 43; cumque interrogaret, qui visionem videbat, angelum: « Ille juvenis, quis est, qui eis coronas imponit, et palmas in manus tradit? » responsum accepit ab angelo: « Ipse est Filius Dei, quem in seculo confessi sunt: » ita Castiodorus, S. Gregorius, Philo, Beda, Anselmus, Richardus, Rupertus. Sic S. Agnes præfeci Romani filio se in sponsam ambientem, Christi sponsi sui longe majorem pulchritudinem, dignitatem et præstantiam objecit, atque: « Discede a me, fomes peccati, pabulum mortis, quia jam ab alio amatore præventa sum, qui longe te nobilior, annulo fidei sue subarrhavit me: cujus est generositas celsior, possibilitas fortior, aspectus pulchrior, amor suavior, et omni gratia elegantior; » et paulo post: « Cujus mater virgo est, cujus pater feminam nescit: cui angeli serviunt, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, cujus odore reviviscunt mortui, cujus tactu sanantur infirmi, cujus opes nunquam deficient: ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotione committo: quem cum amavero casta sum, cum tetigeri munda sum, cum accepero virgo sum: » ita S. Ambrosius, *epist.* 34. Addit S. Bernardus, *serm.* 28, Christum dici *electum ex milibus*, quia millia millium dilecto, et nemo ad dilectum. hæc de causa christianos ut Christum imitentur exhortans S. Petrus, I *Epist.* IV, 13: « Nemo vestrum, ait, patiatur ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienorum appetitor. Si autem tu christianus, non erubescas, glorificet autem Deum in domino nomine; » et vers. 14: « Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est ejus spiritus, super vos requiescit. »

Mystice Psellus: « Christus, ait, dicitur candidus et rubicundus, quia ex ejus latere in cruce lancea aperto fluxit sanguis et aqua. »

Anagoge S. Hieronymus in cap. LXXXI *Isaiæ*: « Christus, inquit, rubicundus fuit in passione, »

candidus in resurrectione, ideoque *electus ex milibus*, quia primogenitus ex mortuis. »

SECUNDUS SENSUS

PARVIALIS,

De Christo et anima sancta.

Anima sancta candida est per fidem, rubicunda per charitatem. et, ut Philo ait, per Spiritum Sanctum. Rursum candida per innocentiam, rubicunda per patientiam, ideoque *electa ex milibus*: vix enim unus e mille hominibus (si omnes qui in mundo sunt computes) ad veram sanctitatem et patientiæ perfectionem assurgit; unde tres Anonymi apud Theodoretum: « Christus, aiunt, est candidus illis qui ab omni peccatorum sorde sunt mundati; rubicundus vero illis, qui per tentationes, ut igneus auri fulgor, probati fuerint. »

Denique quia hic describitur perfecta, imò senescens ætas Ecclesiæ, quando post Constantinum totus pene orbis sub labaro et vexillo crucis Christi militabat, valde apposite sic exponas: Christus est candidus in virginibus et confessoribus, rubicundus in martyribus, ideoque *electus ex milibus*, id est, ut hebraice veritas, *signifer et dux myriadum*, hoc est innumerorum fidelium, qui sunt in toto orbe, sub vexillo crucis Christi militantium, in qua, ut ait S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, tam in pace, quam in prælio eadem in vinculis premia tribuit: « Secura, ait, esto, Eustochium, magna hereditate ditata es: pars tua Dominus, et quo magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata est: non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devote quoque mentis servitus immaculata quodiduanum martyrium est: illa corona de rosas, ista de liliis: unde et in Canticum canticorum scribitur, *Cant.* V, 10: *Fratruelis meus candidus, et rubicundus, et in pace et in bello eadem premia vincens tribuens.* » Et S. Bernardus, *serm.* 28 in *Cant.*: « Christus, ait, dicitur candidus et rubicundus, quem circumdant flores rosarum et lilia convallium, hoc est martyrum virginumque chori, et qui medius residet, non utique dissidet virgo et martyr. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Christus suas dotes et laudes communicat matri suæ: igitur B. Virgo candida fuit virginitate, rubicunda charitate et martyrio, quod subit in Christo et cum Christo: quare ipsa fuit *electa ex milibus*, ut esset Virgo Beipara, Christi mater, virginum vexillifera, martyrum antesignana, confessorum signifera. Audi Nyssenum de Christo: « Inter omnes hominum myriades ex quo illi esse creperunt, et quousque nascentur, solus hic nova partus specie in hæc lucem prodit, cui ad nas-

centium natura non est cooperata, sed servit: cujus nativitas de duorum conjunctione orta non est, partus minime inquinatus, nisus doloris expertis; thalamus, Altissimi potestas, quasi quadam nubes virginitatem ipsam innumbrans; fax nuptialis, Spiritus Sancti splendor; cubile, vitiorum expertis, conditio, nuptiæ; puritas incorrupta nec voluptate cepit existere, nec cum dolore in lucem prodit. Matrem mortis (Evam) deicit propter peccatum in dolore concipere et parere: matrem vite (Mariam) utrumque dedecorat, quæ gratia plena fuit. Sic *Electus* vocatur, propter partum omnium doloris expertem: ille primogenitus omnis creature, ex patre genitus sine dolore: ille regenerationis primogenitus, per baptismi aquam renatus sine dolore: ille primogenitus resurrectionis ex mortuis, natus ex sepulcro sine dolore: sic in omnibus generationibus suis partus expertis doloris. Et sic optime dicitur: *Electus ex milibus.* »

VERS. 11. CAPUT EJUS AURUM OPTIMUM: COME EJUS SICUT ELATÆ PALMARUM, NIGRE QUASI CORVUS.

CAPUT EJUS AURUM OPTIMUM. — Pro optimum hebraice est *ἄρα paz*, quod per apheresim idem est quod *ophaz*, puta aurum allatum ex regione Ophaz (in Septuaginta legitur nunc *cephaz*, sed videntur ipsi olim vertisse, *ophaz*: sic enim habent hebraea), vel *ophir*, quod erat optimum; alii aurum paz vertunt, aurum soliditatis: *ἄρα paz* enim est *solidare, roborare*, aurum autem est *solidissimum*; alii cum nostro Pineda aurum paz vertunt aurum ductile, optimum enim aurum est, quod lentescit et in bracteis subtilis est ductile. Vide dicta, *Jerem.* X, 9.

Triplex hæc verba exponi queunt: Primo, ut caput accipias pro corona capit, q. d. Coma et cæsaries sponsi, puta Salomonis et Christi, erat aurea vel aureis ramentis impersa: hoc enim ephebos Salomonis fecisse testatur Josephus, lib. VIII *Antiq.* cap. VII: « Equis, ait, optimis Salomonis insidebant equites flos juvenitum, proceræ statura, prolixoque capillitio conspiciunt; ad hæc ramentis auri capillos quotidie spargebant, ut ad solarium radiorum contactum, fulgur et capillus eorum reflecteretur. » Idem factitate Commodum, Lucium Verum, et Gallicium imperatores docent Lampridius, Spartianus, et Trebellius in eorum Vita. Verum de coma sponsi mox hic subdit: « Come ejus sicut elatæ palmarum; » quare potius ipsi capilli, quam coma hoc aurum tribuendum videtur. Secundo, q. d. Caput sponsi erat aurum non reipsa, sed similitudine, id est simile aurum optimo, puta fulgidum, purum, speciosum instar auri. Tertio, q. d. Caput sponsi redimitum erat diademate vel corona ex auro optimo labrefacta: hebræum enim *כתר keten*, non tam aurum, quam aureum monile, puta diademata aut torquem significat. Id ita esse liquet primo, ex illo, *Psalms*. XLV, 10: « Astilit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, » hebraice *אַתְרֵי כְתָרֶתֶּתֶּת* *beketset*

Ophir, quod S. Hieronymus æque ac Theodotus, vertit, in *diademate aureo. Secundo*, quia quinta editio, teste Theodotio, vertit, *caput ejus insigne auro*, sic et Theodotus; Aquila vero et Symmachus, *caput ejus lapidem auri*; Syrus, *caput ejus petra auri*, id est *massæ auri*, vel potius *gemma auri*, q. d. Caput ejus vestitum erat lapidibus preciosis, sive gemmis aureo diademati intertextis. Vatablus, *caput ejus redimitum est auro obrizo. Tertio*, quia sponsus hic est rex Salomon, regni autem capitis insigne et decus est aureum diademata; unde *Cant. iii, 11*, dixit: «Videte, filie Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus;» et *Psal. xx, 4*: «Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.»

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Grammaticè videtur hic forma et figura species Salomonis, et antitypi Christi Domini describi: Salomoni enim persimilis fuisse videtur Christus, uterque ergo fuit colore roseo, id est candido et rubicundo; uterque habuit caput auro redimitum, comam instar palmæ copiosam et nigram instar corvi, oculos columbinos, nitidos et lacteos, genas roseas et odoratas instar areolarum aromatum, labia purpurea sicut lilia; manus et digitos tornabiles, id est elegantes et delicatos, amictos annulis aureis cum pala hyacinthorum; ventrem fortem et solidum instar eboris et lucentem instar saphiri; crura robusta velut columnas marmoreas: ita *Pineda*, lib. VI *De Rebus Salomonis*, cap. IV.

Parabolice *caput Christi* hominis est divinitas, juxta illud, *lib. I Corinth. cap. ii, vers. 3*: «Caput Christi Deus;» sensus ergo est, *q. d. Humanitas Christi aureo deditatis, quasi capitis, diademate coronatur*: ita S. Gregorius, Cassiodorus, Theodoretus, Beda, Philo, Anselmus, Rupertus, Richardus et ceteri passim; unde *Joannes Carmelita* sic explicat, *q. d. Divina hypostasis assumptæ a sponso naturæ, ut caput corpori presidens motumque divinum impertiens, est aurum, quia regiam habet majestatem auro notatam. Est aurum optimum seu obrizum, hoc est, omni mixtura carens: licet enim hypostasis Verbi naturæ humanæ intime unita sit, non tamen ullo modo permixta. Prima enim et propria Verbi sponsa, est humanitas ab eo assumptæ, ejus nuptias hoc Canticorum epithalamio decantat Salomon, ut dixi in *Promemio*, cap. II.*

Porro deditas Christi rectè comparatur auro, quia id est solidus et ductilis, ideòque optimo, primo, quia sicut aurum omnia metalla, sic Deus omnia creata in infinitum transcendit; quod ergo est aurum in metallis, hoc est Deus in creaturis.

Rursus aurum fulgidissimum est; quid splendidi deditatis? ita Beda, Philo, Justus, Cassiodorus et S. Gregorius, quem audi: «Sponsi caput aurum dicitur, quia ejus humanitas ex divinitatis suæ claritate nobis principatur.» Secundo, quia, ut ait Philo, lib. *Quis rerum divinarum hæres*: «Inter laudes auri multas duæ referuntur præcipuæ: una, quod non sentit rubiginis injuriam; altera, quod in tenuissimas bractes sine scissura deducitur; merito ergo majorem naturam significat, que diffusa et protensa usquequaque tota per totum plena est, apertissime contextens cætera.» Deditas ergo similis est auro, tum quia nullam sentit corruptionis et mutationis rubiginem, sed eadem, semperque impassibilis et immutabilis ab æterno perseverat; tum quia sicut aurum, quo melius est, eo in subtiliores bractes deducitur, quæ res quaslibet tegunt, ornant et exhilarant, tumque magis fulget et radiat: sic Deus suas dotes omnibus creaturis communicat, præsertim angelis et hominibus, maxime dum eos peccato sordidos, gratia sua venustos et fulgidos efficit, perinde ac vile lignum sculptoris arte politum auro vestitur, et longe lateque radiat; quia in re maxime deditatis beneficentia, magnificentia et gloria resplendit. Proinde hoc aurum nobis omni studio quaerendum esse docet Christus, *Apoc. iii, 18*: «Suadeo, inquit, tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut loqueres fias;» vide ibi dicta: ita Theodoretus, Anselmus, Rupertus, Richardus et alii. Tertio, deditas in Christo humanitati ab eo assumptæ hæcæ suas dotes communicavit: quocirca ipsa omnes creatas hominum et angelorum naturas sua dignitate longe superat: ipsa solida est et impeccabilis; ipsa se per gratiam omnibus hominibus communicat, «quia in ipso (Christo homine, puta in humanitate Christi) inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,» *Coloss. ii, 9*: ita Nysseus.

SECUNDUS SENSUS

FANTIASIS,

De Christo et anima sancta.

Sancta anima per gratiam auream Christi deditatem participat. Audi S. Paulinum, epist. 4 ad Severum: «De quo (scilicet Christo) dicitur *Cant. v, 11*: Caput ejus ut aurum paz, id est purum; hoc enim aurum forma sanctorum est, qui in capite corporis ut lumina micant, et sunt aurum ignitum Deo, quia videlicet eos per examina passionum in hujus mundi fornace confictos invenit, ut scriptum est, dignos se, et in his sacramentibus suis percussit monetam, imprimens imaginem suam et liquis eorum veritalis sui verbum, eosdemque ipsos statens nummularios, ut secundum suam formam probabiles Domino eaderent nummos, et, abolita de nobis figura Cæsaris, virum Regis æterni numisma signarent, ut spiritu redemptionis inscriptis, carvæ jam iugo

libera et salutis titulo præmunta fronte caneremus: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, *Psal. iv, 7*. Summa igitur ope enitiamur ita nos comparare, ut divini capitis, quod nobis per gratiam Dei Christus est, crines et aurum esse mereamur.»

Porro Philo Carpathus *caput Ecclesie* ait esse patriarchas et doctores, qui velut aurum sapientie in fornace tribulationis excocti resplenderunt, ac præsertim S. Petrum, qui post Christum fuit caput Ecclesie; unde ipse dicitur esse *Cephas*, id est *petra Ecclesia*, perinde ac Septuaginta hic vertunt, aurum *Cephas*: describitur enim hic Christus, ut caput, dux et rector Ecclesie propagatæ per totum orbem, quale vice Christi fuit S. Petrus, ejusque successores romani pontifices, ac præsertim tempore Constantini S. Sylvester, ejusque posteri.

Symbolice, tres Anonymi apud Theodoretum: Caput Ecclesie, inquit, est fides, quia sicut animalia et serpentes pro capite tuendo omnia membra periculo exponunt, sic fideles pro fidei puritate tuenda omnia sua, quin et vitam exponere debent. Pari, imo potiori jure caput Ecclesie est charitas, hæc enim omnium virtutum est princeps et regina, hæc ut aurum optimum radiat et effulgurat. Ambrose Chaldaeus per *caput aureum* accipit legem Dei: *Lex ejus*, inquit, desiderabilior est auro obrizo.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo esto non sit Deus, nec dea, tamen præ omnibus angelis et creaturis proxime ad deitatem accessit, quia mater est Dei, nulla enim major est conjunctio, imo consanguinitas, quam maternitas: quocirca ipsa sola colitur *hyperdulia*, quam nonnulli latræam quamdam esse censent, ut cultus B. Virginis profisciscatur ab eodem habitu religionis, a quo oritur Dei et Christi adoratio. Id valde probabile esse censet *Franciscus Suarez*, III part. *Quest. XXXVII*, disput. 22, sect. III, sub finem, et ex eo *Mendoza* in *Viridario*, lib. II, problema 4, licet contrarium sentiat *Gabriel Vasquez*, lib. I *De Adorato*, disp. 8, cap. II; probantque primo, quia licet excellentia matris creata sit, tamen respicit excellentiam increatam, a qua sumit suum valorem; unde a S. Thoma, I part. *Quest. XXIII*, art. 6, ad 4, dicitur in suo genere esse infinita. Secundo, quia hæc dignitas pertinet ad ordinem unionis hypostatice, ob quam humanitati Christi debetur adoratio latræ: ergo ratione ejusdem B. Virgini ut matri Dei eadem adoratio tribuatur, sed inferior; unde *Cajetanus*, II II, *Quest. CII*, artic. 4, ad 2, docet B. Virginem habere consanguinitatem cum Christo ut Deo, et ideo illi deberi specialem adorationem; quia *propria*, inquit, operatione attingit fines divinitatis,

id est, quia concepit, peperit ac nutritum Deum: et Patres sæpeasserunt totum honorem matri ad filium referri. Tertio, quia in humanis idem habitus, qui inclinat ad adorandum regem, inclinatur etiam ad honorandam matrem regis ut sic; verum hæc adoratio non est absoluta, quam soli Deo debetur, sed diminuta, participata et respectiva, respicit enim dignitatem et divinitatem filii, ob quam mater Dei ut sic honoratur: quare hic honor non sistit in matre, sed per eam tendit in filium, nec tam mater in se, quam filius in matre adoratur.

COMÈ (CAPITIS) EJUS SICUT ELATÆ PALMARUM, NIGRÆ QUASI CORVUS.

COMÈ (CAPITIS) EJUS SICUT ELATÆ PALMARUM.—*Pro sicut elatæ palmarum*, hebraice תלתלים *tallitim*, id est *tumuli, cumuli, acervi*; Septuaginta vertunt *darai*, quod noster Latinus retinuit vertens *elatæ*, additque *palmarum*; Complutenses *darai* vertunt *ductiles*; à *reî dàlam*, Syrus vertit, *crines ejus extensi*; Arabicus hic tacet; Vatablus, *densi*; *Clarius*, *condensi*; *Agathius*, *acervati*; *Pagninus*, *crispi*, unde quidam vertunt, *extremitates capillarum ejus elevatæ ut tumuli*; id est *crispæ*; *Tigerrina*, *cincinnati ejus ut tiliæ*; *Nysseus*, *ut abies*, nam *darai abietem* quoque significat; unde S. Ambrosius, lib. II *De Spiritu Sancto*, legens *crines ejus abietes*, bene comparatos abietis ait sanctos e Christo Ecclesie capite pullulantes, cum ex abietis sint naves Tharsis, quæ fluctibus supernant mundi, et tatum remigium salutis exhibent.

Quæres, quemnam sunt *elatæ palmarum*? *Primo*, *Rupertus*: *Palmæ elatæ*, inquit, dicuntur rami palmarum erecti et elevati (hebræum enim תלתלים *tallitim* derivatur a תלל *tatal*, id est *elevare, suspendere*) ut distinguantur ab iis, qui depressi sunt et incurvati; dicuntur ergo *elatæ*, quasi *elevatæ sursum*: ita *Rupertus. Secundo*, melius alii censent *darai* esse vocem græcæ, et significare *germen palmæ novellæ*, quod grati coloris est, et perpetuo virens: ita *Galenus*, lib. VIII *Simplicis*, *Hesychii*, *Genebrardus*; unde et *Plinius*, lib. III, cap. IV, novella germina quæ erecta pullulant a cacumine, *comam* vocant: «Coma, inquit, hujus arboris in cacumine est:» palma enim a radice usque ad cacumen nullos habet ramos, sed nodoso stipite assurgit et crassescit usque ad summum, ubi ramos suos multos densosque profert, eosque semper virentes et perdurantés illa forma et serie, ut plane comæ speciem referant: adeo ut palma cum suis ramis *virda* *or* esse homo sua coma redimitus. Ita per *elatæ*, *palmæ* ramos qui quasi coma verticem ejus tegunt et ornant, accipiunt Cassiodorus, Philo Carpathius, Beda, Rupertus et alii. Adverte *Hesychium Galeanum*, et prisicos Græcos scribere *darai*, cum accentu in penultima: hoc enim significat *palmæ*, vel *germina palmarum*, vel *abietes*: nam *darai*, cum accentu in ultima, proprie significat *ductiles*, sed et

rami palmarum sunt ductiles, ideoque *barai*. Tercio et proprio elata est involucrem, sive vaginali fructum palmæ florentis, ex qua diffusa prodeunt flores numerosi, appensi longis et modice densis villis, qui capillorum et comæ speciem exhibent; flores deinde in fructus, puta in dactylos desinant: ita *Thiaseorides*, lib. IV, cap. cxvii, ubi *Matthiolus* ideam palmæ elate in icone spectandam exhibet. Idem *Æthius*, *Oribaeus*, et *Nembertus Dodonæus*, *De Styrpiibus*, Pemptade 6, lib. III, cap. xxvii. Audi *Prosperum Alpium*, lib. *De Plantis Egypti*, in palma « Martio mense involucre suis alis alligata aperiuntur, e quibus globus florum infinitorum proslit, floresque his filis vel capillamentis appensi cernuntur, a quibus dactyli parvi virides uvarum racemos imitantes producantur. »

Hoc loco per elatas tam ramos palmæ, quam involucre villorum, florum et dactylorum jam dicta accipias; rami enim speciem comæ exhibent, involucre vero que ultra ramos propendant, speciem dant crispationis nodorum, gemmarum, monillium, que subinde ab extremitate comæ dependentes, eam exornant: atque hi hebraice dicuntur *taltalim*, id est *tumuli*, quia prolata coma in sui extremitate, puta circa collum vel humeros, in tumulos et cumulos coacervatur. Igitur sponsi crines et coma comparantur elatis, id est ramis et fructibus palmarum, primo, quia earum adinstar longi et proluxi sunt; secundo, quia a capite in humeros deluunt, ibique copiosi; tertio, quia in orbem rotundi, itaque pexi et compositi; quarto, quia quasi in tumulos cumulosque colliguntur; quinto, quia ibidem crispantur; crisper ergo habent speciem florum palmæ, hi enim similes sunt cincinnis retortulis: itaque sponsi caput primo ornabat coma et cesaries elegans; cesariam vero decorabat corona aurea uti imposita, de qua paulo ante dixi.

NIGRÆ QUASI CORVUS. — Arabice, *cincinnati ejus nigri sicut nigredo corvi*, quia in regionibus calidis maxime probatur coma et barba nigra, ait *Vatablus*, ac presertim in Syria et Judæa, uti mihi Romæ asseruerunt Maronite incolæ montis Libani. Rursus nigredo, æque ac coma et crispatio capillorum indicat bonam valetudinis habitudinem, caloris robor, juventulem et virilitatem (nigri enim capilli juvenum longe absunt a canis senium), ut docent *Galenus* et *Maritius*; unde *Martialis*, lib. V, *Eleg.* 90 :

Mentis juvenem tinctis, Lentine, capillis :
Tam subito corvus, qui nescio cygnus eras

Et *Horatius*, lib. I, *Ode* 32 :

Et Lycum nigris oculis nigroque
Crine decoram.

Idem in *Arte poetica* :

Spectandus nigris oculis

Pro nigri hebraice est מְיָוֵט *mechorot*, quod noster *Pins-da*, lib. VI *De Rebus Salomonis*, vertit, *aurorantes* (מְיָוֵט *mechor* enim est *aurora*), id est, instar auroræ fusce translucente sole refralgens: nam, ut ait *Poeta* :

Auræ fulgebant roseis aurora capillis.

Sic et corvi nigri mirifice illuminantur sole, et quam radiis percussi accipiunt, lucem multiplicatis reverberatione radiis reddunt majorem: hæc *Pineda*, qui contendit *Salomonis* æque ac *Christi* capillos fuisse flavos, sed nigricantes: *aurorantes* enim idem est, inquit, quod instar auroræ flavescents: hi enim speciosi sunt, et egregiam nature animique indolem, magnæque ingenium indicant, ut docent *Apuleius* et *Physici*; unde *Suetonius* de *Augusto Cesare*: « Qui non, inquit, regaliū virtutum promitteret subflava Augusti cesaries? » Talis quoque fuit cesaries *Vespasiani* et *Constantini Magni*, qui inde fiant sunt cognominati. Vide dicta cap. IV, vers. 1, ad illa: « Capilli tui sicut greges tonsarum. »

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Grammaticæ ad litteram *Christus* comam gessit proluxam, copiosam, rotundam a capite in humeros defluentem, ibique se crispantem instar *naræ* uti dixi *Nun.* VI, 9. Audi *Nicephorum*, lib. *I Hist. cap. ult.*, *Christi* formam depingentem: « Egregio vividoque vultu fuit, corporis statura ad palmos plane septem; cesariam habuit subflavam (qualis est color dactylorum) ac non admodum densam, leniter quodammodo ad crispas declinantem; » et mox: « Barba capillus flavus, nec admodum demissus; capitis porro capillos tulit proluxiores: novacula enim in caput ejus non ascendit, neque manus aliqua hominis preterquam matris in tenera duntaxat ætate ejus. » Porro prolata coma sive cesaries hominis est decus: audi *S. Ambrosium*, V *Hexam.*: « Etiam cesaries veneranda est in senibus, veneranda in sacerdotibus, terribilis in bellatoribus, de-orã in adolescentibus, compta in mulieribus, dulcis in pueris. »

Parabolice, capilli hi *Christi* notant ejus sancta et divina consilia, cogitationes et affectus: quia sicut capilli ex capite, sic cogitationes ex mente oriuntur; *Christi* autem caput est *Deus*: quare mens ejus erat divina, atque ex *Deo* divinas haurebat cogitationes, affectus, amores et ardores, qui instar capillorum erant proluxi, copiosi, rube compositi, inter se connexi et per crispationem quasi in se revoluti, ac flores et fructus non dactylorum, sed sanctorum et divinarum operationum producebant, ut omnis sermo, cogitatio, et actio *Christi* esset celestis et divinæ illam *nigri* erant ut *corvus*, tum quia fortes, viri

quia calore charitatis ardebant, et quasi torrebantur ac nigrescebant: sicut enim capilli a capite, sic beneficia a *Deo* et *Christo* proluxissima, densissima, copiosissima et maxima in homines pronanant. *Deus* enim et *Christus* est ipsa increata, ardens, et immensa charitas, ac beneficentia.

Mystice *Theodoretus*: *Capilli*, ait, sunt gratiæ omnium generis, que a *Christo* in fideles profluunt; tres vero anonymi apud ipsum: *Capilli*, inquit, *Dei* sunt varia ejus attributa, ut omnipotentia, omniscientia, bonitas, justitia, etc., que deitatem, sicut capilli caput, ornant, ac homines eadem imitantes, divinos et quasi *Deos* efficiunt. *Lucas abbas* autem: *Capilli Dei*, ait, sunt angeli innumeri, qui *Deum* stipant uti capilli caput, ac instar palmarum semper vident, et in alla nituntur. Denique *Rupertus*: *Capilli Christi*, ait, sunt omnes veritates sacrarum Scripturarum, que ipsum declarant et decorant: hæc omnia nigra sunt, quia obscura et subinde impervestigibilia: ita *Theodoretus*, *Rupertus*, et alii. Denique *Beda*: « *S. Magdalena*, inquit, in caput *Christi* effundens alabastrum unguentum nardini, capillos ejus in magnæ devotionis mysterium, elatis palmarum, id est arboribus aromaticis similes efficit. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Capilli *Christi* sunt viri sancti, presertim religiosi et apostolici: hi similes sunt elatis palmarum, quia instar palmæ oneri temptationis non succumbunt, sed omnes vincunt, ac altius in cælum orando et meditando se erigunt; nigri sunt ut corvus, quia viles et peccatores se reputant, ideoque magis a *Deo* exaltantur: ita *Justus Orgentianus*, *Beda*, *Nysenus*, *Cassiodorus*, *S. Gregorius* et *Richardus Victorinus*, quem audi: *Elate palmarum* sunt spatule, id est rami pulcherrimos semper ad excelsa tendentes. Palma inferius aspera est et arctioribus corticibus obvoluta, superius tam visu quam fructu pulchra: sic just inferius dura agunt, et adversa patiuntur, et superius in oculis pulchri sunt et fructuosi; per dura quippe corporis se purgant, et proficiunt ad pulchritudinem: in imis, vita eorum quasi multis corticibus angustatur; in summis vero quasi pulchre viriditatis follis, amplitudine retributionis dilatatur, atque dulcedinem supernæ suavitalis (quam representant palmarum dactyli) degustant, ait *Cassiodorus*; hinc *Psellus* comam *Christi* ait esse *SS. Petrum* et *Paulum*, intellige cum suis asseclis.

Huc accedit *Nysenus* qui legens, comæ ejus sicut abietes, per eas intelligit apostolos, quod sublimes instar abietum facti, inquit, et ad cælum

tendentes, non parum sponsi decorem augment, agitali ab aura Spiritus Sancti. Addit *Paulinus*, epist. 4 ad *Severum*: « Quia in Ecclesia, hoc est in monte Dei, verticibus meritorum eminent, ut abietes in suis montibus; et sicut illæ apte navibus contendentis, ita illi principes populi de monte legis, ut a *Libano* excisi, arcam Domini sive navem, hoc est Ecclesiam per hujus mundi diluvia navigaturam, a dolatis verbo Dei gentibus texerunt, et in compagem charitatis fide stringente conjunctam, fluetus mundi istius impetribiliter secare docuerunt. » Addit deinde continue: « Sed et nunc erudite ad apostolicam fidem animæ, abietes sunt nigre et bonæ; nigre vero jam non de peccato, ut puto, magisque adhuc vel de inhabitatione corporea, vel de executionis internæ quasi bellico pulvere, vel pulverulento sudore et nigricans, qui *Deum* stipant uti capilli caput, ac instar palmarum semper vident, et in alla nituntur. Denique *Rupertus*: *Capilli Christi*, ait, sunt omnes veritates sacrarum Scripturarum, que ipsum declarant et decorant: hæc omnia nigra sunt, quia obscura et subinde impervestigibilia: ita *Theodoretus*, *Rupertus*, et alii. Denique *Beda*: « *S. Magdalena*, inquit, in caput *Christi* effundens alabastrum unguentum nardini, capillos ejus in magnæ devotionis mysterium, elatis palmarum, id est arboribus aromaticis similes efficit. »

Huc facit *Chaldæus*, qui per caput accipiens legem, totum hunc versum sic reddidit: « Lex ejus desiderabilior est auro obrizo, et interpretatio verborum, que in ea sunt coacervata, et eloquia, et præcepta custodiendibus ea sunt alba sicut nix: his autem qui non custodiunt ea, sunt nigra sicut alæ corvi. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

De capillis *B. Virginis* litteralibus et mysticis dixi cap. IV, vers. 2; capilli ergo *Deiparæ*, ex *Alberto* et *Constantino medico* fuere temperate nigri: quoniam perfectissima corporis humani dispositio, qua prædita fuit *Deipara*, exigit cerebri calidum et siccum: a calore enim oritur velocitas apprehendendi, a siccitate vero firmitas retinendi; ex tali autem cerebri dispositione color niger in capillis, et in oculis oritur: oculi porro nigri sunt clariore ad videndum, ac proinde nobiliores propter sensuum utilitatem. Vide *S. Antonium*, part. IV, tit. XV, cap. xi, ubi fuse de pulchritudine capillorum, cutis oculorum *B. Virginis* disserit.

VERS. 12. OCULI EJUS Sicut columbe super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluentia plenissima.

OCULI EJUS Sicut columbe super rivulos aquarum. — Vox *columba* non est genitivus singularis, sed nominativus pluralis, ut patet ex *hebraeo*

יוני יונה, et greco νεφελαι; unde et subditur quae lota sunt in plurali, non quae lota est: comparantur ergo duo oculi sponsi duabus columbis, quae resident super rivulos aquarum et fluentia plenissima, tum quia columbae delectantur aquis, ut in his seipias velut in speculo speculantur, ut quae isse abluant: sunt enim nitoris amantissimae; tum ut in his videant umbram accipitris, itaque ejus unguis avolando effugiant; tum quia oculus in suo orbe et cavitate humida residens et innatans similis est columbae residenti et innatanti aquis: ex orbe enim hoc oculorum stillant lacrymae, ceu aquae ex fonte. Unde Hebraeorum יון איהו tam oculum, quam fontem significat, quod enim fons est in terra, hoc oculus est in homine: ille stillat aquam, hic lacrymas; ille orbicularis est, hic rotundus: dicit ergo oculos sponsi ex plere significatum nominis sui איהו, quia similes sunt fonti; nam in orbe sive cavitate sua natant, quasi aquae in fonte, ex coque aquae lacrymarum emanant; unde Ovidius, VI Pastor:

... Animique oculique natabant.

Et Virgilius, V Aeneid.

Natantia lumina solvit.

Humidi oculi notant homines faciles, flexiles, benignos, misericordes, qui facile aliorum postulatis condescendant, compatiuntur, succurrant. Rursus et super rivulos aquarum notat sponsi oculos esse caesios, id est coloris aquei et marini, ideoque vitrei, crystallini et caelestis. Hinc caesius dicitur quasi caelivus, et caeruleus quasi caeruleus: caesius enim color caeli habet speciem, unde Caesaris quidam dictos putant. Caesii oculi symbolica sunt sensus prudentiae et sapientiae; unde Minerva sive Pallas dea sapientiae ab Homero et Cicerone, lib. I De Natura Deorum, vocatur *κατακαεσις*, id est glaucos sive caesios habens oculos, quales habent fales. Huc facit quod Christus fuerit albus et candidus, ut dixi vers. 10; albi autem homines magna ex parte caesii sunt oculis, ait Aristoteles in Problem. sect. x, numer. 13, causamque addit: «Cum oculi, inquit, triplici coloris genere distinguantur, nigro, caprino, et caesio, corporis totius colorem oculi quoque color consequitur, itaque haud immerito caesius est.»

QUE LACTE SUNT LOTE, — id est quae perissimae sunt et candidissimae, perinde ac si lacte lota lacteum colorem et candorem inbibissent: lac notat candorem non tam colorem; quam morum, nam in oculis aet una pars sit candida, tamen altera et potior, in qua pupilla et vis cernendi residet, est nigra: quare sicut partem oculi candidam laudat a lacte candore, ita alteram ejus partem a nigro candorem relinquit, ait Genharardus. Addit Pineda, lib. VI De Rebus Salomonis, cap. IV, § 8: Oculi Salomonis et Christi referebant lacte lotas columbas, quia non erant sanguinei, qui ebriosorum sunt et petulantium;

non valde nigri, qui timidorum et dolosorum; non rubentes ac flammantes, quales iracundorum, cum «rutilis ardesunt lumina flammis:» qui enim injurias non ferat, sed acriter ulciscatur, appellamus virum sanguinei oculi: non igniti, qui invecundorum et procaecium, quales canum: sed modice flavescetes, qui magnanimum, quales Caesaris ex Suetonio, quales et columbarum oculi, quales Constantini, cujus oculi leonini ex Cedreno.

ET RESIDENT JUXTA FLUENTIA PLENISSIMA. — Hebraea, residentes super plenitudinem. R. Salomon, Aben-Ezra, alique rabbini per plenitudinem accipiunt cavitationem, palam et sinum, in qua reconduntur gemmae, v. g. adamantes in pala annuli; haec hebraice dicitur plenitudo, quia a gemma impletur, ut patet Exod. XXVIII, 11, ubi pro inclusit auro, hebraice est, erunt lapides in suis plenitudinibus, id est in suis pallis; hunc ergo dant sensum, q. d. Oculi sponsi in suis sinibus micabant et radiabant, sicut adamantes in suis pallis; sie ergo duplex est hic similitudo: prior, quae oculi sponsi comparantur columbis super rivulos aquarum; posterior, quae iidem comparantur gemmis in auro relictibus. Verum Septuaginta, Noster et alii priorem duntaxat similitudinem hic assignant: in hebraeo enim non est *gemma*, vel *adamantes*; unde Syrus pro *juventa fluenta* verit, *super quietem*, q. d. Quae quietissimo et placidissime resident in loco suo, v. g. juxta aquas. Sensus ergo est, q. d. Oculi sponsi similes sunt columbis, quae resident juxta rivulos aquarum, sive juxta fluentia plenissima, id est quae resident juxta plenos et puros fontes, hoc est, caesii sunt, clari, limpidi, micantes et fulgidi; item quieti et constantes, non vagi, oberrantes, et furiosi, quales fuere Juliani Apostatae, teste Nazianzeno; sed placidi, lenes, benigni, qui animi lenitatem et probitatem representant.

Porro noster Pineda, lib. VI De Rebus Salomonis, cap. v, § 8: Sponsus Salomon, inquit, et ejus antitypus Christus habuit oculos *juxta plenitudinem suam*, hoc est, opportuna et idonea multitudine implentes suum orbem, ita ut neque tum prominentes turgiduli, nec intus recedentes foveati et concavi: quorum illud stolidorum et invecundorum est; hoc tristem, pavidorum, maleficorum, quales Caligulae fuerunt; non valde magni, qui pigrorum et phlegmaticae atque humilitate abundantium, quales Domitiani, non valde parvi, qui vulpium et pusillanimum: ergo mediciores *juxta plenitudinem suam*, summa totius corporis magnitudini correspondent; qui optime constitutionis sunt. Iidem referentibus quae optime sunt, et aequales columbas, quippe minime erant inaequales, qui vel stolidorum, vel nefariorum hominum sunt, sed aequales, qui aequalitatem, equitatis et justitiae amantium sunt.

benique Nicephoras, lib. I, cap. XL: «Ex oculis (Christi), inquit, subflavescentibus mirifica pro-

minebat gratia; acres si erant, et nasus longior.»

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Oculi limpidi, caesii et caelestes significant eximiam, caelestem, et divinam vigilantiam, et providentiam Christi, qua tum per suos episcopos, pastores, prophetas, doctores, etc. (quales post Constantinum fuere SS. Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, etc.), prudentissime gubernant Ecclesiam, singulosque fideles, qui lacte, id est simplicitate sunt loti et candidati. Hi resident juxta fontes S. Scripturae, ut inde puritatem et candorem doctrinae, vitaeque christianae hauriant, quam in subditos emanant et transfundunt; unde per oculos intelligunt doctores S. Gregorius, Cassiodorus, Nyssenus, Beda, Justinus, Philo, S. Ambrosius et alii: quocirca his ait Christus, Matth. 23, 16: «Estate prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.»

Vident ergo per doctores Christus, quid in doctrina vel moribus in Ecclesia corrigendum aut persequendum sit; videant igitur ipsi, quam in utroque mundi et sinceri esse debeant, quos Christus in facie sua quasi oculos gestat, ne eam dedeorent et obnubilent: quare resident juxta rivulos purissimos aquarum S. Scripturae, non in canosis paludibus, nec in turbidis aquis stagnantibus philosophorum, haereticorum, politicorum, etc., ut sacra Biblia potius terant, quam Platonem, Platarchum, Machiavellum: horum ergo velut accipitrum umbram et insidias, in limpida S. Scripturae aquis pervideant et provideant doctores, ut eas a se et caeteris fidelibus docendo et monendo amoliantur. Lacte sunt loti, quia candorem in baptismo acceptum omni studio conservare salagunt; unde S. Ambrosius in Psalm. CXXIII, octon. 16, ad vers. 3: Baptizat, inquit, in lacte Dominus, id est in sinceritate: et isti sunt, qui vere baptizantur in lacte, qui sine dolo credunt et puram fidem deferunt, immaculatam induunt gratiam, ideo candida sponsa ascendit ad Christum, quia in lacte baptizata est, quae est ista quae ascendit dealbata, Cantic. VII, 5, juxta Septuaginta. Audi Nyssenus: «Illi omnem vitiositatis lippitudinem aqua albuere debent; aqua autem non una est, sed plures sunt aquarum rivi; quot enim virtutes sunt, tot et lustrales aquae: temperantia lastrat immoderantiam, humilitas superbiam, etc. Si autem oculi ad aquarum copias sunt loti, quae ob simplicitatem et puritatem columbae comparantur, lacte loti dicuntur, quia in lacte nulla videtur imago, nulla apparet umbra, et in hisce oculis nihil erroneum, sed ipsa rei veritas absque umbratili aliquo simulacro representatur. Sedentes sunt juxta copias aquarum,

ob perpetuam attentionem in discendis rebus divinis, tametsi per id et modus pariter inducitur, quo pulchritudinem oculorum consequi possumus, nimirum semper ad aquarum copias descendendo, non ad fluentia Babylonis, et ea quae Dei, non quae mundi sunt quaerendo.»

Huc facit versio Chaldaei, licet judaica, qui per oculos accipit providentiam Dei erga justos Hierosolymitas, qui legem ejus servant: «Oculi ejus, inquit, contemplantur semper Jerusalem, ut beneficiat ei, et benedicat ei a principio anni usque ad finem ejus, sicut columbae quae stant et aspiciunt ad exitum aquarum, propter meritum eorum, qui habitant in concilio, qui laborant in lege, et illuminant iudicium, ut sit lenis sicut lac, et habitant in domo doctrinae, et discipulant in iudicio, donec consumment, ut justificent, et ut unum condemnent.»

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Anima sancta, quae uni Deo orando et meditando intendit, est oculus Christi, qui non nisi sursum vel caelestia et divina aspexit recto sanctae intentionis oculo. Vide quae de hisce oculis dixi cap. I, vers. 15, et cap. II, vers. 1.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo, ait Nicephorus, lib. II, cap. XLIII, oculis erat acribus, sublavas et tanquam oleae colore pupillas in eis habens.

Symbolice, columba ob puritatem notat Spiritum Sanctum, ejusque septem dona: ita Cassiodorus, Beda, Philo, Theodoretus, Rupertus, Richardus et alii; unde in specie columbae Spiritus Sanctus descendit in Christum, cum baptizaretur a Joanne in fluentis Jordanis; quot ergo sunt gratiae Spiritus Sancti in sancto, tot quasi in eo resident columbae caelestes et divinae; haec aquis suis a mente detergent omnes sordes et maculas, easque lacte suo caelesti alunt et nutriunt: his ergo aquis in puris castitate mentibus incubat Spiritus Sanctus, easque fecundas reddit honorum operum, ac praesentium ut iisdem aquis alios a peccatis abluant, et quasi lacte pascant.

Porro haec dona copiosissime requireverunt super Christum, et ab ipso in fideles, sed majori copia in matrem sunt infusa. Hoc est, quod ait Isaias cap. II, vers. 1: «Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini: hinc septem haec